

1594











STUDIO ET VIGILANTIA



# NOVA
# ET SVCCINCTA, VERA TAMEN HISTORIA

DE AMPLISSIMO, POTENTISSIMOque, nostro quidem orbi hactenus incognito, sed perpaucis abhinc annis explorato Regno CHINA; quindecim florentissimis eius Prouincijs, plurimis admiranda magnitudine insignibus vrbibus; summa fertilitate; incredibili vnionum, gemmarum, auri, argenti, cæterorumq; varij generis metallorum opulētia & copia; populorum ijs in regionibus inaudito in bellis terrestri naualiq; adparatu; præclara item, prudentique optimè constitutæ Reipublicæ moderatione; &, in vniuersum, de gentium illarum ea morum dexteritate, ea ingeniorum acrimonia, cuiusmodi vix in vllis (clarissimarum etiam nationum; Medorum, Persarum, Assyriorum, Indorum, Græcorum, Romanorum, aut quorumcunque denique aliorum) historiarum monumentis, toto terrarum orbe reperiatur.

*Ex Hispanica primùm in Italicam, inde in Germanicam, ex hac demùm in Latinam linguam conuersa:*

Operâ Marci Henningi Augustani.

Reliquorum, quæ in hisce libris describuntur, summam, præfatio Autoris, & singulorum capitum elenchi docebunt.

Cum gratia & priuilegio Cæsareæ Maiestatis.

FRANCOFVRDI ad Mœnum.

Jacobo Dominio Lo[illegible] Austriaco optimo iure in[illegible]



# JLLVSTRI ET GENEROSO DOMINO ANTONIO FVGGERO, Baroni Kirchbergio & VVeissenhornio, &c. sereniss. Archiduci Austriæ, &c. Ferdinando, à consilijs: literarum & literatorum Mæcenati obseruando. S. D.



VAE Chinarum nomine hodiè gentes nuncupantur, Illustris & generose Baro, eas a Cl. Ptolemæo, & erudita antiquitate Sinas ( vnius literæ facili mutatione ) adpellatas esse, opinio est. Neq; tamen, vel apud hunc, vel apud alios vetustiores celebres scriptores, fusior aliqua aut plenior, vllam in partem, populorum regionúmue earum descriptio exstat; nisi quà situs, limites, & paucæ aliquot incolentium eas terras nationum, ab eo, quem dixi, nobili autore, nominétenus duntaxàt, memoran-

tur: Sinas etiam metropolin (quæ Straboni & Ptolemæo Thinæ sunt) Stephanus, siue quicunq; is Græcus fuit, cuius de vrbibus epitomen habemus, nominat. Cæterùm, quæ, florente Græca Romanaque potentia, obscuris famæ tecta inuolucris, homines tenuisse videtur Sinarum nationis ignoratio; eandem iis etiam, quæ à nostra memoria propius absunt, sæculis, mansisse, nemo annalium, monumentorumque veterum peritus rectè, credo, negauerit: Vnus M. Paulus Venetus, qui antè annos circiter CCC. omneis Asiæ maioris, tùm præpotenti Tartarorum Imperio subiectas regiones descripsit, inter eas Mangi (quo nomine Chinæ ab eo vocari existimantur) amplissimæ ditissimæque prouinciæ, secundo historiæ suæ libro mētionem facit. Verùm, auorum demùm ætate, institutæ ab Hispanis atque Lusitanis, vniuerso penè ambito terrarum orbe, nauigationes, certiora nobis, & confirmatio-

matiora his de rebus aperuerunt, de quibus tamen, neq; in tabulis diuersorum Geographicis, neq; aliàs narrationem hactenus exactiorem aut copiosiorem vllam videre licuit, præter eam, quam, post Dominicum Nigrum, Italū (qui tamē vix alia, quàm Ptolemaica exsequutus est) doctissimus vir, Hieronymus Osorius, Episcopus Algarbiensis, Lusitanus, libro, de rebus gestis Emanuelis Lusitaniæ Regis, vndecimo, de Sinis, eorumq; variis moribus atque ritibus, ex ciuium, opinor, suorum, eorumque, qui laboriosa peregrinatione oras eas obiére, relationib⁹, vberius, &, quàm alter, explicatius edidit; cuius historiæ exemplis præfixa Ioannis Metelli Sequani epistola, & de Sinis aliqua, & de aliis ab Hispanica gente adinuentis nouis regionibus complura differit: epistolæ porrò, ex Iapone (quæ Græcis olim Chrise, M. Paulo Veneto Zipangri dicta creditur) Indiisque, in Europam, ab aliquot iam annis

missę, & publicatæ, complures, multa de eorum populorum moribus, religione, cæterisque ritibus & viuendi institutis exponunt. Sed circiter tertium ab hinc annum, edita est ex Hispanico in Italicum sermonem (vt titulus præ se fert) conuersa de Regno Chinarum (vt vocabulo hoc, ad latinam Sinarum inflexionem, tanquam recentiori, magisq; noto vtar) historia, autore Ioanne Consaluo, Augustiniani religiosi instituti sacris dicato, perillustri inter Hispanicas Mendozarum familia nato, cuius scripti, in treis diuisi parteis, primis tribus libris, amplissimi Chinarum Imperii situs, prouinciæ, mores, religio, ritus, opes, Reipublicæ moderatio, & Regius dominatus, aliaque id genus, ad historicam expositionem pertinentia, nominatim & distinctè enarrantur; quod nemo eorum, quorum prius memini, aliorúmue antehac præstitisse visus est. Eos tres libros ex Italica in Germanicam linguam translatos,

latos, & huius anni verno mercatu Francofurtēſi typis excuſos (reliquæ etenim duæ partes, Italicè adhuc leguntur) ego Latinè ſuſcepi conuertendos, cùm vt petenti id Sigiſmundo Feirabendio bibliopolæ Francofurtenſi (qui prius germanicè à ciue ſuo conuerſos, exprimendos curârat) morem gererem, tùm, quòd per ſeſe plurimorum cognitione non indignos iudicarem, quippe qui multa cognitu periucunda, neque inutilia traderent; atque (præter ea, quæ, ab aliis aut ignorata, aut imperueſtigata, aut omiſſa, Mendoza, peculiariter, ex eorum, quos ipſosmet in Chinis fuiſſe, omniaque, quæ ab ſe recenſeantur, vidiſſe & cognôſſe ait, ad ipſum poſteà Regem miſſa expoſitione, hauſiſſe ſe teſtatur) cum iis, quos modò nominaui, Oſorio, inquam, Metello Nigro, literis Iaponicis, tabulisq; Geographicis ꝑomnia ꝓpémodū cōuenirent. In eo certè, cū M. Paulo Veneto (quē qdem, quāuis

prim⁹ orbi gentē hāc mōstrasse videri voluerit, ea tamē scripsisse autor noster in sua præfatione testatur, quæ de Tartarísne, an de Chinis intelligenda sint, in dubium vocari possint) cōsentire videntur, quod primo tertii libri capite, ab Hombi Chinarum rege, ad eum vsque, qui hodiè Chinis imperat, Bonogium, ducentos annos numerari, ante Hombim, totis nonaginta tribus annis Tartaros Chinæ (vt in vocis huius pronunciatione, ante alios, eundē, cuius antè memini, Osorium, Sinam æquè ac Sinas aliquoties efferentem, imiter) dominatos, & ab eo, quem nominauimus, Rege, principatu excussos esse narratur. Iam, M. Paulus, historiæ suæ libro primo, capite 54. anno à nato Seruatore M. CC. LXIIX. Mangi prouinciam à magno Tartarorum Chamo siue Imperatore Cublai expugnatam dicit, quod annis ab hinc CCCXXI. factū esse, calculus indicat; à quibus, si anni XCIII. Scythicæ dominationis

nis ſubducãtur, ducẽti circiter, & duo detriginta anni, ad hunc vſque annũ effluxêre, per quos Chinis è Tartarica ſeruitute ereptis, ab indigenis Regibus eſt imperitatum. Quod præterea de arte æneis typorum formis libros imprimendi, Chinis vſitata, à Mendoza libro 3. cap. 16. refertur, id, præter alios (vt hoc obiter addam) à Paulo etiam Iouio, libro hiſtoriarum ſui temporis 14. confirmari ſentio, qui eius generis volumen, cum elephante, Leoni X. Pont. Max. à Luſitaniæ rege dono miſſum, ſeſe vidiſſe adſerit, præterquàm, quòd ipſe quoque ſcriptor noſter, huiuſmodi librũ quendam ſe habere, aliquot in Vaticana & Regia, cœnobij San Laurentiani bibliotheca, alibiq́;, in Hiſpania, India, & Italia, cõſpexiſſe indicat. Sed, plura in hanc ſententiam, de cæteris, à Mendoza in narratione hac deſcriptis, in medium afferre, animus non eſt; è qua, præter pleniorem, & diffuſiorem, eius plagæ, omniſq́ue incola-

rum conditionis notitiam, à nemine, hucuſque, pluribus, quemadmodum ego exiſtimo, explicatam (ſiquidem hiſtoria à nullo vnquam vituperata, & nunquam ferè vlla fuit, quæ non & iucundum aliquid, & vitæ idoneum diceret) ad lectores & vtilitatis plurimũ, & oblectationis (in qua ipſa quoque vtilitas eſt) redituram ſpero.

Ad verſionem verò meam quod attinet, me Germanici exemplaris fidem, & verba (vt debebam) ſequutum atq; interpretatum eſſe aio, neq; tamen diſſimulo, cum collatis vtriuſque linguæ exẽplis, paucula aliquot notoria, operarum, cenſeo, typographicarum, errata, ab Italici ſermonis gnaris, in Germanica editione, animaduerſa eſsẽt, autoritate eorũ & hortatu, me ex Italici libelli ſenſu & præſcripto ea emendaſſe, ita, vt ipſius autoris menti atque ſententiæ nihil omninò decederet; quod ſanè candidum lectorem, idiomatis noſtri doctum, è trium verſionum, Germani-

cæ (cætera non inelegantis) Italicæ & Latinæ mutua compoſitione, ſatis ſuperque intellecturum, optimamq́; in partem accepturum eſſe, vti exiſtimo, ita, id vt faciat, vehementer peto rogoq́ue.

Vt autem iam ad te, Illuſtris & generoſe Baro, mea conuertatur oratio, cùm, pro more, cunctis penè iis, qui in publicum quidpiam emittunt, à peruetuſta omnium ferè ſæculorum memoria, ſollēni, huius meæ qualiscunq́ue operæ, patronus aliquis mihi quærendus foret; Generoſæ tuæ magnificētiæ, cùm amicorum conſilio, tùm ipſo quodam animi mei impulſu offerre eam, atque dedicare viſum eſt: non quòd illuſtri tuo, & præclaris artibus, multiplicique rerum vſu exculto atque inſtructo ingenio, dignā, aut, quę vel obiter abs te inſpiceretur, idoneam eſſe, iudicarem, cùm pręſertim Hiſpanica, Italicáue lingua edita deſcriptio maiorem legenti voluptatem allatura videri poſſet; verùm

rùm eò, vt, cuiuſcunque in manus, quartùm iam in aliam conuerſa linguam, hiſtoria hæc perueniret, quartò etiam patrocinio præſidioq́; viri virtute præſtantis niteretur: Ac G.T.M. minimè grauiter laturam eſſe, vt mihi perſuadeo, ita omni contentione deprecor, quòd ego perfricta adeò fronte ſum, vt ignotus & obſcurus, tàm inſigni atque amplo loco poſitum heroëm cōpellare, & quidquid meæ hoc opellæ eſt, ei obtrudere auſus fuerim. Cùm.n.è multorum ſermonibus intellexiſſem, G. T. M. elegantibus literis atq́ue diſciplinis perornatam, ex hiſtoriarum etiam lectione (de quarum ſummis meritisq́; laudibus, ſi ego, poſt tot grauiſſimos doctiſſimoſq́ue viros, vel mutire auſim, idem eſſe arbitror, ac ſi argutos inter ſtrepat anſer olores) magnā capere voluptatem, neq́ Romano minus, quàm patrio, alióve ſermone, & ipſam ſcitè vti, & loquentes alios perlubenter audire: ſumpſi hoc mihi, vt

(quem-

(quemadmodum dixi) primam hanc descriptionis Regni Chinarum partem ei offerrem. Præter virtutis tuæ decus, spem meam animumque auxit, nō per hominum solùm ora iamdudum volitans, sed & in plurimorū mentibus, altè radicibus actis, confirmatus, splendidissimæ familiæ tuæ, cùm in alios, pro cuiusque conditione, tùm in eruditos, & optimarū artium studiosos, præclarus ille fauor & beneuolentia, tibi, cum reliqua Fuggerorum gente communis, qua vtiq; (Musis nimirum volentibus) effectū est, indiesque efficitur, vt fama & gloria nominis vestri æquè in æternum permansura sit, atq; tot insignia, magnificentiæ & beneficentiæ, quibus Augustam decorastis, aliaque, in quacunque terrarum parte, splendoris & ornatus à vobis edita monumenta. Hæc, illustris & generose Baro, ad G. T. M. præfari volui, quæ, vnà cum interpretatione mea, munere leuidensæ, crasso filo, boni ea vt consulat, meque

que pro ſuo in omneis literarum ſtudioſos benigno animo, in clientelam ſuam ſuſcipere ne dedignetur, etiã atque etiam oro. D. Auguſtæ Vindelicorum; menſe Sextili; Anno à nato Chriſto Seruatore, M. D. XIC.

Generoſæ T. M.

Addictiſſimus & deditiſſimus

Marcus Henningus.

IOAN-

# IOANNIS CONSALVI MENDOZAE PRAEFATIO ad Lectorem.



*Equaquam, optime Lector, vſque adeò turpi ambitione labor, (qua pleríque noſtrorum temporum hiſtoriographi incitati, dum veteres cum nouis hiſtorias comparãt, immortalem nominis ſui gloriam, fœlicibus ingenij monumentis, reddere nituntur) vt, hoc, breui admodum, quo virium mearum qualecúnque ſpecimen edidi, ſcripto, debitam alijs autoribus laudem eripere coner, à qua me longo adhuc interuallo abeſſe ſentio.*

*Hiſtoria hæc mea, haud ita prolixa, non de Athenienſium agit Republica, quam fusè deſcripſit Plutarchus: néq; maieſtatem triumphosq́ veterum extollit Romanorum, quod peculiari nobiliq́ argumento celeberrimus hiſtoricorum præſtitit T. Liuius: néque res geſtas Cæſarum attingit Germanorum, ab illuſtribus alijs ſcriptoribus literis commendatas: néque debitam Paulo Aemi-*

*lio æmulatur lauream, qui calamo ſuo Galliæ reges immortalitati tradidit: néque ego denique præclara inuictiſsimorum Hiſpaniæ regum geſta ineleganti ſtylo conſcribere propoſui, quæ, per ſeſe, aurea velocis famæ buccina, toto terrarum orbe ita innoteſcũt, vt ex hominum memoria effluere nullo modo poſsint.*

*Ad aliud, longè recentius, vulgoq́; minus notum ſcribendi argumẽtum, ſtudium atque operam meam confero: quod, cùm multis ſummæ & præſtãtiſsimæ indolis hominibus defuerit, tractatione eius ſuperſedere ſunt coacti; conſtituiq́;, diligentibus, & huiuſmodi rerum non planè ignaris, potentiam, magnitudinem, amplitudinem, maieſtatem atque opulentiam Chinarum Regis quodammodo oſtendere. Etſi autem Marcus Paulus Venetus, diuturno ſuo itinere Aſiatico, primus orbi gentem hanc monſtraſſe videri voluit: addubitant tamen quidam, ea, quæ fidem hominum exſuperantia, Paulus ſcribit, de Tartarísne, an de Chinis intelligenda ſint? Cùm igitur hac ætate, eloquentium ſcriptorum adeò feraci, hactenus*

*nemo*

*nemo repertus fuerit, qui illis in regionibus ab aliquot iam annis visa exploratáq; in commentarios referret: ego verò, hæc à fide dignißimis viris, qui suis sese oculis istarum rerum certos reddidére, summaq́; industria, pleraque eorum, quæ mihi tradiderunt, ex ipsis Chinarum annalibus collegére, acceperim: eorum denique penes quos eſt autoritas, mandatis parere sim coactus: omnibus elegantis, & admirãdarum stupendarumq́; rerum auidi iudicij hominibus gratificandi caussà, breuem hunc libellum in lucem edendum duxi: quò illi pleniora posteà, & accuratiora eo in genere tractent, idq́; omninò efficiant, quod ego, vt eos breui facturos spero, ita libenter ipsemet præstitissem: postq̃ ijs in locis magni adeò acuminis, multi è nostris reperiuntur: qui, si non nobilitate operis, extendendi tamen ad sempiternam eruditi animi laudem, nominis, occasione, ad huiusmodi scriptionem suscipiendam excitari deberent.*

*Primis itaque tribus historiæ huius libris pro modulo tenuis sanè, sterilisq́; ingenij mei, ea omnia, quæ de Chinarum Republica,*

*deq́ vniuersæ regionis qualitate & natura, verißimè certißimeq́ inter huius Regni pulcherrima, commemorari poſſe videbantur, collegi.*

*Cæteris verò ſequentibus, tria deſcripſi in Chinas facta itinera, quibus Martinus Herrada, Hieronymusq́ Marinus, Auguſtinianæ ſacræ familiæ, Anno, à nato Seruatore, poſt mille quingentos, ſeptuageſimo ſeptimo: biennio pòſt, Petrus Aluarus, cum quibuſdam Franciſcaui inſtituti San Ioſephianæ prouinciæ, ſodalibus: & tandem, Anno M. D. XXCI. Martinus Egnatius, alijq́ aliquot, eiuſdem profeßionis ſacris initiati, eò ſeſe contulére: qui quidem, Hiſpali, conſcenſis nauibus, itinere, per Indiam Luſitanis ſubiectam, confecto, maxima terrarum orbis parte circumnauigata, in Hiſpaniam redierunt.*

*Quamobrem hæc noſtra lectori beneuolo offero & dedico: ſperans ei lectu gratißima neque iniucunda fore, cùm à nemine antehac vnquam iſthæc materia ſit pertractata: etſi tenue munus eſt, binisq́ haud exiguis vitijs laborat: vno, typographiæ, cuius*

*cauſſa*

*caussa non immeritò Italicis Chalcographis tribuitur, Hispanicæ linguæ rudibus, qui, cùm verba non intelligant, coniungenda interdum diuidunt, separanda cōiungunt: cumq́; Italici Characteres, punctis ad nostram pronunciandi rationem necessarijs careant, multa illi sæpè perperàm atque imperitè vocabula omittunt. Alterum vitium est, scriptionis inuenustæ, quod tamen legentis candori permitto: vt is, quibus rationibus, quóue animo ad hæc exponenda sim adductus, perpendens, excusatione me dignum censeat: eoq́; magis, quod me, vbi Deo, vt spero, fortunante, in Hispaniam reuersus fuero, prælo denuò historiam hanc subiecturum, errores commissos sublaturum, singulariq́; cura operam daturum esse polliceor, vti tàm emendata illa in lucem prodeat, quàm ego omnibus id votis vnicè cupio atque exopto.*

# ELENCHVS CAPI-PITVM, HISTORIAE REgni Chinarum.

## LIBRI PRIMI.

LIBRI SECVNDI.

De multitudine idolorum, quibus diuinos honores Chinenſes exhibent; & de quorundam ex illis effigie & forma, quibus Chriſtiana religio depingitur, Cap. I. & II.

Quàm parui Chinenſes idola ſua faciant, Cap. III.

De ſortilegiis apud ipſos, in ſerio quouis negotio ſuſcipiendo vſitatis, & de inuocatione Cacodæmonis, Cap. IV.

Quid de initio mundi, & creatione hominis ſentiant, Cap. V.

Quòd immortales animos, & poſt hominis ex hac vita diſceſſum, aliud ſupereſſe æuum: tùm pro ſuo quemq; merito, aut pœna, aut præmio affectum iri, certò ſtatuant Chinæ, & quomodo precentur pro mortuis, Cap. VI.

De delubris, religioſis, tàm virorum quàm fœminarũ ordinibus, & ſacris Antiſtitibus apud Chinas, Cap. VII.

De ritibus eorum in ſepeliendis defunctis, lugubribuſq; veſtimentis, Cap. IIX.

De ritibus eorum in contrahendis matrimoniis, Cap. IX.

Quòd toto regno, neque in viis, neque ad templa, vlli ferantur mendici: & quem

Rex modum, in alendis iis, qui ſuis operis victum ſibi parare nequeunt, obſeruet. Cap. X.

LIBRI TERTII.

De regibus Chinenſium, & ſingulorum regum nominibus, Cap. I.

De palatio & ſede Regis: & neminem toto regno, præter vnum regem, à Chinenſibus Dominum agnoſci, Cap. II.

De numero beneficiariorum & clientium, aut regiæ ditioni ſubiectorum, & tributariorũ, in ſingulis quindecim prouinciis, Cap. III.

De tributis, quæ ad dignitatis Aulæq; autoritatem tuendam Regi penduntur, Cap. IV.

De copiis tàm peditum, quàm equitũ, in ſingulis prouinciis, Cap. V. & VI.

De lege & ſtatuto Chinenſiũ, quo extra ſui regni fines bellum gerere, ex eo aliò ſe cõferre, exterosque in id abſque cõſenſu Regis, admittere prohibentur, Cap. VII.

De ſenatu Regio, quemque is obſeruet morem, quò ſingulis menſibus, quicquid toto regno acciderit, cognoſcat, Ca. IIX.

De officiis Palatinis, Rectorib. prouinciarum, & moderatione Reipub. Cap. IX.

De cæteris Officiis publicis, & de ritibus

bus apud ipſos in foro, curia, & reliqua publicorum munerum adminiſtratione vſitatis, Cap. X.

De cenſoribus, quos quotannis Rex, vt in magiſtratuum, per ſingulas prouincias, acta inquirant, ex aula cum poteſtate dimittit: & de modo animaduertendi in ſontes, Cap. XI.

De carceribus & modo reos mortis capite puniendi, Cap. XII.

De literis & characteribus Chinenſium: ludis item literariis: aliisque admiratione dignis, Cap. XIII.

De modo explorandi eorum in literis progreſſum, quibus Loitiorum inſignia conferuntur: ritu ea conferēdi: ceremoniisq; poſt collationem ciuitati ſollemnibus, Cap. XIV.

Quòd machinæ tormentorum æneæ, multò antè apud Chinenſes, quàm apud Europæas gentes in vſu fuerint, Cap. XV.

Quantò Chalcographia apud Chinenſes antiquior ſit, quàm apud Europæ populos, Cap. XVI.

De libris ab Herrada & collegis, è China allatis, & quid in iis deſcribatur, Cap. XVII.

De Chinenſium conuiuiis, & ritu celebrandi feſta, Cap. XIIX.

DE

# NARRATIONIS *HISTORICAE* de amplissimo Regno CHINA; situ eius & magnitudine: vestibus, ritibus & moribus nationis; regionisq; natura & conditione.

## *LIBER PRIMUS.*

### Descriptionis Regni Chinarum, & finitimarum gentium,

### CAPUT I.



*ERTISSIMA verissimáque de peramplo Chinarum regno (quod hac historia describendum suscepimus) traditio ea habetur, quæ ab Hispanis, Philippinarum, quas vocant, Insularum incolis est profecta. Hæ Insulæ distant ab eo, de quo dicimus, regno, & ut appellatur, continenti,*

*ad ducenta, eo loco, milliaria; Hispaniq; illi, iam decennio penè, in eas sese regiones quodammodò infuderunt: tametsi diu antea per Indiam quoque, Lusitanicæ ditionis, nõ parua earum indicia extiterunt, ab ipsis, quos dixi, Lusitanis, orta, qui Cãtonem vsque Chinarum Regni vrbem negotiandi caussa excurrerunt, & ab ijs, qui Macaone habitant: sed quòd rumores tantùm, neque satis illi constantes his de rebus adferrẽtur, neque Lusitanis, neque Philippinensibus, planè fides hactenus adhiberi potuit; præsertim cùm diuersa, minimeq; inter se consentientia, narrarent: donec tandem R. P. Martinus Herrada, Ordinis Eremitarum, D. Augustini (vt vocant) prouincialis, (cuius sacratæ familiæ sodales, primi & Philippinas Insulas inuestigarunt, & incolas earum salutaribus aquis abluerunt) eiusq; collega Hieronymus Marinus, vnà cum Petro Sarmento, Philippinarum vrbis Maniliæ Prætore, & Michaële Loarcia, à Guidone Labassare Regio earum Insularum Præside, anno à nato Christo M. D. LXXV. ductu cuiusdam è Chinarum Regis classis*

*præfe-*

*præfectis, cui Omonconi nomen erat, in Chinam missi sunt, vt ex ipsorum apparebit expositione, quæ secundæ huius historiæ parti, eodem omninò modo, quo potentissimo Hispaniarum Regi oblata est, fideliter inseretur; è qua intelligi poterit, quomodo is, quem dixi, è Chinarum Regis ducibus, in Insulas Philippinas venerit, fidemq́ dederit, se eos, quos nominauimus, religioni dicatos viros, vnà cum comitatu, contra tamen expressam, capitisq́ pœna sancitam earum terrarum constitutionem, in Chinas esse deducturum: quomodo item nostri illic excepti, honesteq́ & liberaliter sint habiti; vt etiam alijs de rebus memorabilibus & præclaris in ea agitur.*

*Amplissimum hoc Regnum in eo tractu Asiæ situm est, qui maximè ad ortum vergit: Cochinchinæ Regni ad occasum fines attingit, quo cum ijsdem planè moribus ritibusq́ vtitur: maiorem eius partem Oceanus Eous circumfluit ab Ainama Insula, Cochinchinæ finitima, capto initio, quà polus XIX. gradib. exaltatur, tùm Septētrionē, tùm ēt Meridiem versus, ita, vt septen-*

*trionali vento, Aparctia eo mari nauigetur. Supra Cochinchinam paulò, ad Boream, Brachmannis confine est, præpotentibus, auri, argenti, gemmarum, Pyroporum inprimis, ditissimis populis; mascula hæc superba atque robusta gens, colore flauescit: quæ tamen pauca cum Chinis bella gessit, quod asperis montibus, rupibusq; ab illis dirimatur. Proximi horum finibus Patani & Mogori (gentes ita dictæ) ingens, & ipsi armorumq; gloria inclytum regnum possident, quorum Metropolis est Samarcanda. Hi Scythæ illi, seu Massagetæ sunt, qui à nullis vnquam nationibus in seruitutem redacti dicuntur. Populus earum regionum, vt in solo natus Boreali, corporis robore habituq; salubri pollet, atque albi coloris est. Occasum inter & meridiem Taprobane (Sumatram hodiè vocant) sita, auro, gemmis & margaritis adfluit. Propius Austrum maiores minoresq; Insulæ Iauæ, regnum Lochi, posteaq; tantò plus distans Iaponia, conspicitur. Omnium proximi Chinarum terminis Tartari sunt, continentis & ipsi cultores, muro tantum á Chinis discre-*

*ti,*

*ti, vt fusius postea hoc in libro indicabitur.*

*Tartari hi cum Chinis atrocia sæpè longo tempore bella gesserunt, quorum separatim primo capite libri tertij mentionem faciemus. Subegerant illi ante hac Chinarum Regnum, totosq́; tres & nonaginta annos sub ditione sua retinuerant; sed Chinæ rebellantes, denuò eos eiecerunt: nunc pacem inter se & amicitiam colere dicũtur, quam ad conciliandam & conseruandam, non parùm facit, ingeniorum, rituum, atque morum inter vtrosque similitudo: colore tantùm differunt, quia ruffescunt Tartari magis quàm albicant: nudi supra vmbilicum incedunt; crudis carnibus vescuntur, cruore eorum corpus oblinunt, quò robustiores inde euadant: ideoq́; ita fœtent, vt aëre ab ipsis respirante, vel longo distantium interuallo, nares fœtor impleat, & vbinam sint, moneat. Immortalitatem animorum pro certa habent, in eo tamen errant, quòd animos ex vno in aliud corpus transire opinantur: quiq́; in vno corpore benè vixerint, in alio deinde esse beatiores, ita, vt ex*

pau-

*paupere in diuitem, è ſene in iuuenem trãſ-ferantur. Liberi parentum obſeruantiſſimi ſunt, adeò, vt ne in minimis quidem illorũ voluntatem negligant, quam ſi violent, publicè continuò, grauiſſimeq́ mulctantur: Vnum credunt & fatentur eſſe Deum, ſingulis in ædibus eius habent in ſublimibus locis poſitas effigies, quotidiè ex thure alĳsq́ odoribus litant, ſummum Deum appellantes; ab eo ſanam mentem & ſanum corpus precantur. Alium præter hunc Deum adorant, quem prioris filium, Natigai nomine, adpellitãt; hunc res terrenas curare perhibent, eiusq́ imaginem ſinguli domi ſuæ habent; ac quoties cibum ſumunt, pinguiſſimo omnium, quod habent, ferculo faciem ei inungunt: hoc modo, vbi ſuam ille, epulantium opinione, partem, inunctione hac, acceperit, quod ſupereſt, ſtatim ipſi deuorant. Nunquam, vel capitis diſcrimine propoſito, mentiuntur. Regi ſuo cum primis parẽt, belli præſertim tempore, quo ſuum quiſque munus ad tympanorum ſtrepitum, tubarumq́ clangorem ſtrenuè obit: in cæteris à Chinis nihil diſcrepant; qui ſi religionem*

*Chriſtia-*

*Christianam susciperent, haud dubiè eorum exemplum Tartari hi sequerentur.*

## De constitutione aeris regionis Chinarum.

### CAP. II.

A*Eris temperatio florentißimi huius Regni inter sese admodum diuersa est. Quantumuis enim id æquali penè spacio, meridiem inter & septentrionem, situm sit, ea longitudine, vt non procul ab Ainama Insula intra X. gradus eleuationis polaris incipiat: constat tamen quibusdam illius prouincijs vltra L. gradus polum exaltari: opinioq́ue est, quibusdam locis altius etiam extolli, præsertim versus Scytharum fines. Dißimilitudo hæc è colorũ varietate, huius regionis hominum facilè animaduertitur. Cantone enim, insigni Chinarum vrbe, quam Lusitani, aliquandiu iam negotiationum ergò, continenter adierunt; quod non procul Macaone, Portugallensium Colonia, distet, eoq́ue omnis generis mercimonia,*

*nia, ijs è terris delata, in Europā inde transuehantur; apertum colorum discrimen cernitur in illis, qui mercādi caussâ isthuc confluunt, quod ipsi quoque Lusitani testantur. Qui Cantone, totoq; eo tractu nascuntur, colore subflauescunt, Fessanorum instar in Africa, quorum quidem regio eidem parallelo seu Climati, cui Canton, subijcitur: cæterarum prouinciarum interius positæ gentes, aliæ alijs magis albicant, prout ab oris frigidioribus longius, aut propius absunt: quædā Hispanis adsimiles, aliæ etiam pallidiores, donec planè candidæ fiant, & rubicundæ, quales Germani quidam: neque frigida hæc an calida potius plaga sit, exactè definiri potest, cùm ei Zonæ, quam Geographi temperatam vocant, eidemq; climati, cui Italia, Gallia, & aliæ temperatæ regiones, subijciatur: Vnde fertilitas, opulentia atque abundantia harum terrarum facilè colligitur, quibus procul dubio omnes alias totius orbis superant, quāuis regna Peruana, Hispaniaq; noua, eo nomine summoperè commendentur. Sed de his plura sequenti capite, simulq; de frugum generibus*

&

*& copia in China nascentium. Is quem dixi Prouincialis Herrada, eiusq; comes (quorum fide tanquam oculatorum, & omni exceptione maiorum testium, ego horum pleraque recito) inter cætera, aiunt, tantam illic esse infantium multitudinem, vt mulieres singulis mensibus fætificare videantur; eosq; ferè omneis, valetudine vti, suprà quàm dici possit, prosperrima. Ter quotannis, aut quater indigenæ ibi fruges colligunt.*

## De fertilitate & generibus frugum huius regni.

### CAP. III.

*CHinarum gens extra controuersiam primos terræ suæ cultores, regiiq; imperii autores nepotes posterosq; esse Noachi statuit: Hos etenim, cùm certum locum inuestigarent, in quo commodè habitare degereq; possent, totamq; propterea Armeniam sedulò perlustrassent; Chinarum verò regionem, salubri præcipuè aëre, aliisq;, quibus humana indiget vita, commoditati-*

*bus, fertilitate potiſſimùm, & temperamento optabili præſtare perſpexiſſent; incolere eam cœpiſſe, quòd optimam, opportuniſſimamq́ omnium totius orbis iudicarent: profectò ad me quod attinet, in hoc illos ego minimè falſos eſſe crediderim, hodieq́ id clarum eſſe; de quo poſtea pluribus agemus. Etſi autem inter cætera de fructibus, & illic terra naſcentibus, ea ſum traditurus, quibus, quæ ſuprà dixi, ſatis confirmabuntur: nequaquam tamen omnia commemorabo, quæ de multiplici iјs in oris rerum omnium adfluentia dicenda eſſent, vt præ reliquis de herbis quibuſdam, & earum natura, ſeu vſu, tanto ſanè, vt is vel peculiari deſcriptione dignus eſſe videatur, neque defuturos, qui eam quandoque ſuſcepturi ſint, exiſtimo. Cæterùm aſsiduus incolarum in colenda terra labor, induſtria atque ſolertia, bonitatem illi á natura datam, & fœcunditatem eximiam non parùm adauget. Tanta enim eſt ipſorum hac in re diligentia, tantum ſtudium, vt neque montibus vallibusq́, neque aquis fluminibúſue, impediri ſe patiantur:*

*tur: colunt omnia, plantant, seminant, quidquid natura soli fert; arbores pomiferas, triticum, hordeũ, oryzam, linũ, cannaben, aliaq; id genus, ingenti numero, nullo operis obrepente tædio, aut impatientia, cùm sciant, suarum sibi rerum liberam esse potestatem, omniumq; sese onerum, præter exiguum, quod pendent Regi, tributum, esse immunes, vt in sequentibus fusius explicabitur. Ad vbertatem prætereà istam innumerabilis populi multitudo, plurimùm confert, partim opificijs, partim agris colendis occupata, cùm præsertim ociosi, erronesq; minimè tolerentur, sed seuerißimè coherceantur, & infames planè censeantur. Nemini etiam ciuium è Regno ad exteros, aut militatum aliò abire licet, quod hac ratione viris prouinciæ exhauriantur. Suo enim regno Rex contentus est, tanquam omnium totius orbis præstantissimo. Non minores, genti, ad labores tolerandos, artesq;, quæstus caussâ, exercendas, natura stimulos addit, consuetudine lautè vescendi, vestium splendorem, voluptatum-illecebras consectandi, ædifi-*

cia, pro occaſione, magnifica, & peramœna inhabitandi, comparata: quam ob rem, & ob naturalem ſoli fœlicitatem, Regnum hoc, omnium, quæ vſquam ſunt, non iniuria copioſiſsimum, ditiſsimumque vocari poteſt. Omnia præterea, hîc videre eſt, herbarum, fructuumque genera, cuiuſmodi in Hiſpaniis viſuntur; alia item permulta incognita, noſtriſque planè diſsimilia. Odore aut ſaporeque omnium præſtātiſsima. Nerantia ibi ſapore triplici reperiuntur: quædam ſaccharo dulciora; quædam minus dulcia; quædam grato quodam acore palato acceptiſsima: pruna item (Lechias Chinenſes vocant) non eſu tantùm iucundiſsima, ſed &, quantumlibet comedas, neque noxam neque nauſeam parientia: mala porrò, inſignis magnitudinis, coloris ex puniceo & albo mixti, guſtatu perquàm ſuauia, atque excellentia: cæteros diuerſarum ſpecierum, nominumque, fructus, nunc prætereo, ne, tempus terendo, moleſtus ſim legentibus, cùm ad grauia ſit pergendum. Toto regno, ingens ſacchari copia colligitur; cuius tanta eſt vilitas, vt cum cariſsimè, Quintale (quod vocant) candidiſsimi.

*dißimi, ſex tantùm noſtratibus (vt appellantur) aureis Regalibus vendatur: neque (cùm Chinēſes huiuſmodi rerum perquàm ſint ſtudioſi) mellis minor abundantia, indeq́ꝫ, cùm eius, tùm ceræ precia tàm exigua, ita vt integræ naues, aut potius claſſes illis queant onerari. Serico abundat regio tenerrimo; id tincturis inficere ſolent, quæ ab eximia pulchritudine Bethicis longè præferantur: hæc merx, etſi toto regno maiori ac quæuis alia, numero diſtrahitur, eſtq́ꝫ admodũ vendibilis, parui tamen apud ipſos emitur. Holoſericum, Damaſcenum, holoſericum item raſum, ſubſericum vndulatum, aliaq́ꝫ huius materiæ quàm vili conſtent, ſine maxima, eorum, qui ingenti ſumma in Hiſpania, Italiaq́ꝫ hæc æſtimari ſciunt, admiratione, dici nequit. Hæ autem telæ, aliorumq́ꝫ generum panni, huius regni domeſtici, vlnis, aliáve menſuratione, minimè, ne lintei quidem, ſed pondere omnes veneunt, quò minus fraudum committatur: linteis (nam lini ingens copia) plerìq́ꝫ incolarum veſtiuntur, è cannabe rudentes, vela, aliaq́ꝫ, quæ nauigantibus vſui ſunt, conficiunt. In agris*

 *porrò*

*porrò laboriosis, asperioribus, & alicubi raderatis, multum tritici, hordei, Zeæ, auenæ, aliæq; huiusmodi fruges fœlicissimè nascuntur. Palustribus & aquosis in locis (ob magnitudinem, multitudinemq; fluminum, quæ toto regno effunduntur, frequentibus) oryzam serunt: ea cùm ipsi Chinenses, tùm vicini populi plerique omnes victitant, & copia tanta colligunt, vt quando plurimi, Hanega (quam vocant) Reali, vt appellant, numo constet, atque has, vt dixi, fruges demetere ter quatérue annuatim solent. Syluas quoque editioribus locis (vbi nullus sementis vsus) integras pinubus conserunt, ne quicquam infrugiferum cernatur, quæ ingentes nuces producunt, sapore perquàm suaues: castaneis etiam quæ fructuum magnitudine & bonitate Europæis rectè anteponantur. Has inter arbores miliũ serunt Indicum, familiarem Mexicanis Peruuianisq; cibum; multum etiam panici, vt ne tantillum quidem soli incultum relinquatur, & vero etiam verius sit, ne pollicem quidem latum agri in his regionibus sterilem aut infœlicem reperiri.*

Hanega libris cōstat, circiter CL.

*De*

# De eadem soli fælicitate, & speciebus annonarijs.

## CAP. IV.

*AGros non solùm feraces, sed amœnissimos etiam Chinæ habent. Odoriferos enim diuersi generis flores producunt, præter varios frutices, quos ad riuulos & flumina grato vndique murmure labentia, consitos, campis ipsis gratiam adspirare videas. Ingens ibi numerus hortorum, prædiorumq́ perelegantium, quæ voluptatis remittendiq́ animi caussâ à popularibus coluntur. Syluæ aliquot visuntur, montesq́ arboribus conuestiti, in queis simiæ, capreæ, damæ, lepores, cuniculi, quadrupedumq́ aliæ, quarum nobilissimæ pelles, & plurimæ (Zabellorũ præsertim, quibus scatet regio) magna copia oberrant. Multũ quoque Moschi, è quibusdam animalculis, vulpeculariũ forma, aliud nihil, quàm radicẽ odoratam, digiti crassitudine (Camarus ab ipsis vocitatur) comedẽtibus, hoc modo cõficiunt: captũ animal ad necẽ vsq; cædunt, sedulò, deinde vndiquaq;, ne sanguis effluat, obligãt,*

*tum oſſa intra cutē minutiſsimè conterūnt: eaq; pòst vnà cum pelle quàm diligentiſsimè exſiccata in partes diſcindunt, & velut marſupium (Luſitani papos vocant) efformant: neq; meliorem tota India Moſchum mittit, niſi noſter hîc corrumpatur. Fruſtula enim plumbi aliaq; grauiora interdum commiſceri ſolent, quò mercis pōdus & precium augeatur. Tanta etiam illic eſt carnium abundātia, vt maximè opimus bos octo duntaxat numis Realibus, bubalus dimidio minus, capra duobus veneat. Porci ibidem & veruecesh abentur, cùm permulti, tùm carnium ſuauitate & ſalubritate commendabiles. Hircinæ cæteriſq; id genus edulijs exiguum precium copia facit. Volucrium in aquis, lacubus, & fluminibus degētium, quotidiè vel in obſcuriorib. oppidulis multa millia capiuntur: harum maxima pars anates, ſingulari ſolertia eductæ & paſtæ, vt peculiari capite indicabitur, ne id, quod dixi, incredibile videri queat. Alites huiuſmodi libra venduntur, vt capi quoque & pullaſtri, tàm leui pecunia, vtì duo carnis deplumatæ pondò duobus Fois ſeu totidem*

quar-

*quartis Hispanicis, vel sestertio nostrati, duo, porcinæ vno & semisse cruciferûm nostrorum aut sex marauedinis (nominibus monetarum nostra ætate apud diuersos vsitatis) emantur.*

*Aliorũ porrò eduliorum, pro loci temporisq́ue ratione eadem vtilitas est, vt ex eorum, quos modo nominaui, religiosorum hominum relatione satis adparet. Idem de herbis quibusdam medicinæ seruientibus, rectè sentias, vt de Rhabarbaro, cuius apud Chinas summa & copia & præstantia est, vtì & ligni seu radicis, quam Chinam vocant. Myristicis verò nucibus, vel integras nauès onerare, quadringentasq́ue reali, quem vocant, numo, seu bacijs (vt dicuntur) nostratibus duobus, emere licet. Nec minori admiratione digni sunt, tàm ipsa piscatio, quàm pisces varij atque multiplices, qui nõ solùm in oceano, & propinquis, sed in remotißimis etiam fluminibus capiuntur, quæ pleraque omnia nauigabilia sunt. Auri, argenti, aliorumq́ue metallorum mineris turget regio, quæ vili omnia prostant: margaritis item, sed rotunditate minus cõspicuis,*

*& diuersi generis gemmis; cupro præterea & chalybe, quorum cuiusque Quintale (quod vocant) numis Realibus octo venditur. Vnde verissimè his regionibus nihil eorum quæcunque ad humanos vsus requiruntur, deesse asserimus, quantumuis populus lautissimè viuat, multasq; ita viuendi habeat commoditates, quòd omnibus rebus non ad necessitatem tantùm, sed & ad opulentiam instructissimus sit. Hoc itaque Regnum omnium totius orbis fertilissimum, ditissimum, feracissimumq;, optimo iure nuncupatur.*

## De vetusta origine Chinarum.

### CAP. V.

T*Ertio capite diximus, regnũ hoc tàm priscæ esse vetustatis, vt Noachi nepotes primi eius incolæ fuisse credantur. Ex ipsis verò apud Chinas, rerum veterum monumentis, indubitatò colligitur: post Vitein primum eorum Principem, Regijq; imperij (quod ad hodiernum vsque regem,*

*vt posteà, vbi Reges ordine enumerabo, explicabitur, perdurauit) autorem, tàm tyrannorum, quàm iusto successionis tenore legitimorum Monarcharum, ad eum vsque, qui nostro tempore Chinis imperat, certo calculo reperiri CCXLIII. Patribus defunctis filÿ, his deficientibus consanguineorum proximi, Sceptro potiuntur; licet, hi Reges, cum Turcarum more, quotquot libuerit, fœminas matrimonio sibi iungant, rarissimè non relictis liberis decedãt: inter eos natu maximus filiorum, quacunque tandẽ regiarum coniugum genitus mortuo parenti legitimè succedit, cæteris vbi vxores duxerint, à Rege patre certæ vrbes adsignantur, in quibus potentatus omnis expertes habitent: omnia tamen, quæ assolent, tanta stirpe prognatis liberalissimè suppeditãtur; vrbibus illis excedere, aut in Aulam, nisi iubẽte ipso rege, venire, edicto prohibentur, si faxint, capite luunt, qua seuera & inuiolabili cõstitutione cæteri quoq; oẽis regis cõsanguinei tenẽtur. Horũ pleriq; in finib. Cansi (quã vocant) populosissimæ vrbis degunt. Qꝫ si fors quispiã ex illis acutior, prudentior,*

*atque*

*atque cordatior esse animaduertitur; ei verò à Rege, aut consiliarijs, ne vnquam domo pedem efferat, edicitur, vt scilicet omnis vel suspicio, vel suspicandi caussâ, quæ de seditionibus, tumultibus, aut, clandestinis adipiscendi diadematis initis consilijs, suboriri posset, è medio tollatur. Aedes horum Procerum amplissimæ sunt, omnibusq; rebus, tàm ad necessitatem, quàm ad voluptatem instructissimæ: Visuntur in illis horti, pomaria, piscinæ, innumeris, varij generis, plenæ piscibus, nemora multiplicibus feris auibusq; refertissima, eaq; omnia muris circumdata, ita vt vna harum domuum oppidi formam referat. Musica potissimum oblectantur hi Magnates, quòd nullis vnquam sese negotijs implicēt, cumq; vnicum hilariter suauiterq; viuendi propositum habeant, pulchritudine, viribusq; corporis excellunt: amoribus indulgent, & in aduenas multam hospitalitatem exercent: magistratus sollennibus festisq; diebus illos interuisere coguntur, & quotiescunque ad eorum ædes deuenerint, si equis vehantur, descendunt, si sedili gestentur, adsurgunt, &,*

*absque*

*absque vlla pompa, aut potestatis indicio prætereunt; atque, ne ignorantiæ prætextu, id negligãt, omneis huiusmodi ædificiorum ianuæ rubeo colore tinctæ sunt.*

## De magnitudine Regni Chinarum; & quibus mensuris interuallorum, seu milliaribus vtantur,

### CAP. VI.

*REgio quæ à nobis China dicitur, caussa tamen, aut constans aliqua huius appellationis ratio ignoratur, à finitimis populis, Singlei, ipsorum verò Chinensium lingua Taibinco vocatur, quòd nihil aliud est, quàm Regnum. Id omnium totius orbis, quæ quidem cognita sint, amplissimum esse, & populosissimum, ex hac historia luce clarius apparet, ob mirificas nimirum res, quæ in ea describentur, sequenti potissimum capite, quod penè totum ex ipsis Chinarum annalibus descriptum est: eo, exactè, & magnitudo, & quindecim prouinciæ Regni exponuntur. Hi verò libri apud Chinas typis editi,*

editi, Monigliam vrbem allati, atque ab interpretibus è China oriundis in Hispanicum sermonem conuersi sunt. Isti enim, cum Christiana sacra suscepissent, in Philippinas Insulas sese contulerunt, vt & quam amplexi erant, religionẽ, quæq; nostro more sacris aquis lustrati promiserant, sanctius obseruarent; & ab ea tuti essent, liberiq; pœna, quæ in patria manentibus impendebat, vbi eos absque Regis, & summi Senatus permissu, cõtra Regni instituta, nouã legem quampiam; aut peregrinas colendi numinis cærimonias introduxisse, fuisset diuulgatum: quod quidẽ decretum pacerbè vltimo supplicio contumacibus indicto obseruari solet.

Regnum hoc in circuitu sexaginta nouẽ millia quingenta sedecim Lij cõtinet; mensura hæc interualli est, gentibus illis vsitata; quæ si ad Hispanici moris calculũ reuocetur, milliaria ter mille cõficiet: in longitudinem verò extẽditur milliaribus mille octingentis, quo spatio quindecim, vt dixi, prouinciæ terminantur, quarum quæq; multas vrbes, multa oppida, pagos habet innumerabiles,

*vt in sequẽti capite distinctè monstrabitur. Libri, quorum suprà meminimus, docent, triplicem haberi apud Chinas interuallorum dimensionem; vnam Lij, alteram Pu, tertiã Ichiam vocari, quod idẽ est, ac si nos diceremus, stadiũ, milliare, iter vnius diei. Ea quæ Lij dicitur, tãto spatio definitur, quo ab vno ad alterũ locum, silente aura & aëre sereno, viri vox altum exclamantis, exaudiri queat. Horum decem Pu, id est, Hispanicum milliare magnum; decem verò Pu, Ichiã, h.e. iter vnius diei, seu Hispanica milliaria decẽ satis grandia constituunt. Qua mensuratione Chinarum domestica, vt suprà dixi, ambitus, & longitudo totius Regni designatur. Sed R. P. Herrada Augustinianæ familiæ conuentuum per Philippinas Insulas (vt dixi) Coryphæus Geometriæ & Cosmographiæ peritia excellens, diligenti huiusmodi dimensionum calculo, ipsorumquè Chinarum exacta supputatione, tot, quot diximus, milliaribus, tã longitudinẽ quàm circuitũ Chinæ contineri depræhẽdit, si ab Olamia prouincia initium capias, quæ*

*proxi-*

*proximè meridiem, Malacæ propinqua est, indeq́; regio plus quàm ſexcentis milliaribus ſeptentrionem verſus tortuoſo anfractu incuruatur.*

## De quindecim prouincijs Regni Chinarum.

### CAPVT VII.

IN *quindecim prouincias, ſeu minores regiones China diſtribuitur, quarum vnaquæque maximo, quòd cognitum ſit, in Europa, Regno, maior eſt. Earum quædam à Metropoli ſua, Gubernatorum, Præſidum & Proregum, qui Chinarum lingua in vniuerſum Cochin dicuntur, ſede, nomẽ habent. Binæ ex his, vna Tolanchia, altera Paghia, dictæ, præter ipſum Regem, Senatumq́; ſupremum, alium, qui cum imperio præſit, habent neminem. In alterutra enim harum Prouinciarum Aula perpetuò Regia eſt; non eò ſolùm quòd maiores cæteris ac populoſiores; ſed etiam quòd Tartaris proximæ ſint, cum quibus ſuperiori tempore continentia bella Chinis interceſſerunt. Ideò*

*Reges*

*Reges vt imminētia pericula facilius auertere, hostesq́; cladibus afficere possent: Regiam ibi confirmarunt, cumq́; longo tempore illic degere consuessent, alter alterum secutus, locum minimè mutauit: qui ob id Principis habitationi perpetuò dicatus existimatur; cùm ipsa quoque huius tractus opportunitas eò facilè illos pelliceat, salubritate aëris, & omnium ad victum cultumq́; necessariorum bonitate, & copia singulari præstabilis. Nomina quindecim Prouinciarum sunt: Paghia, Canton, Fochiene, Olamia, Sinsaia, Sisuame, Tolanchia, Cansaia, Ochiame, Auchieon, Honan, Scianton, Chichiene, Chiecheama, Susuania. Pleræque harum terrarum, inprimis Oceanum versus sitæ, nauigabilibus, profunditatis immensæ, fluuijs irrigantur, quorum ad ripas multæ vrbes, multi pagi consiti, quorum nomina recitari facilè possent (cùm Chinæ multa curiositate atque sollicitudine, omnia vel parui momenti ad vsque nomina prædiorum, quæ à nobilibus (hos ipsi Loitios appellant) poßidentur, literis consignent) nisi id tùm lectoribus molestum, tùm prolixita-*

*ti potius, quàm vtilitati huiusce historiæ seruiturum videretur. Numerum itaque hîc tãtùm Prouinciarum indicabo, sequenti verò capite vrbium etiam atque oppidorum (omissis tamen singularum nominibus) mentionem faciam, quod ad institutũ vtique nostrum, quo magnitudinem huius Regni describere conamur, nõ parum facit.*

## De primarijs alijsque vrbibus & oppidis singularum prouinciarum.

### CAP. IIX.

*QVindecim hæ prouinciæ quarum quælibet ob amplitudinem non immeritò Regnum appellari posset, vt ex multitudine primariarum aliarumq; vrbium facilè colligitur, ne addam innumerabiles pagos. Has igitur vrbes singulæ habent.*

*Paghia, prima prouinciarum, atque præcipua, Regis supremiq; Senatus Regij, sedes legitima, vrbes habet primarias XLVII. Oppida CL.* *Can-*

*Canton: Vrbes XXXVI. Oppida CC.*
*Fochiene: Vrbes XXXIII. Oppida XCIX.*
*Olamia: Vrbes XCIIX. Oppida CXXX.*
*Sinſaia: Vrbes XXXIIX. Oppida CXXIV.*
*Siſuania: Vrbes XLIV. Oppida CL.*
*Tolachia: Vrbes CLI. Oppida CXXIII.*
*Canſaia: Vrbes XXIV. Oppida CXII.*
*Ochiame: Vrbes XIX. Oppida LXXIV.*
*Auchieon: Vrbes XXV. Oppida XXIX.*
*Honan: Vrbes XX. Oppida CII.*
*Scianton: Vrbes XXVII. Oppida XXIIX.*
*Chichiene: Vrbes XLV. Oppida CXIII.*
*Chicheama: Vrbes XXXIX. Oppida XCV.*
*Suſuania: Vrbes XLII. Oppida CV.*

*Inita ratione, inuenietur, primariarum vrbium D. XC. cæterorum Oppidorum M. D. CLXXIV. Quibus ſi adijcias innumerabiles pagos, & villas, hoc Regnum iure meritoq́; omnium, quorum notionem habemus Imperiorũ, florentiſſimum atq; excellentiſſimũ habetur. Chinarũ linguæ propriũ eſt, vt Metropoleon nomina in ſyllabã, Fu terminentur, q̃ vrbem ſignificat, & dicunt; Taibinfu, Cantonfu, quod idem eſt ac ſi dicas, Taibinũ vrbs, Canton vrbs: Reliquis*

*vrbibus oppidisq; syllabam Chieu, addunt. Pagi quidā tantæ sunt magnitudinis, vt oppidorū ad formam illis præter nomen, nihil desit. Primariarum vrbium pleræque ad ripas magnorum, & nauigabilium fluuiorum sunt positæ, peramplis circumdatæ fossis, ideoq; munitissimæ. Omnes præterea, vt & reliqua oppida, firmis, robustisq; cinguntur mœnibus, è cæso lapide; iusta viri statura, opere lateritio albicante, in altum eductis ob duritiem & firmitudinem, securibus vix peruio. Mœnia quarundam tantæ sunt latitudinis, vt quatuor aut sex simul viri commodè eis inambulent; primis hinc inde, turribus, (quarum capitula sunt pereleganti a) castellisq; frequentibus, exornata, ambulacris, item & podijs, quo purpurati & magistratus animi caussâ sæpè se recipiunt, vt amœnissimo prospectu vernantiū camporum, decurrentiumq; amnium, iucundè perfruantur. Muros inter & fossas locus vacuus seu Pomœrium visitur, ea latitudine, vt vnà sex equites per illud facilè transire queant. Eiusmodi etiam, intra ipsam vrbem, versus ædificia area patet, vt scili-*

*cet*

*eet tota vrbs circumiri cōmodè poßit. Cæterùm tantum eſt murorum robur, tanta, ob inſignem, quæ illis adhibetur, curam & diligentiam, ſoliditas, vt recentes videantur, quantumuis certis coniecturis quarundam vrbium mœnia ante plureis quàm bis mille annos ſtructa eſſe conſtet. Hæc verò tàm inſignis diligentia inde proficiſcitur, quòd ſingulis in vrbibus, Regio nomine quidam huic vni curæ atque officio eſt deſtinatus, vtì muros ſartos tectos conſeruet: cui hanc ob rem Principis quæſtor Regijs è reditibus, quantum opus habet, atque poſtulat, dependere Regio mandatu cogitur. Viæ omnium regionum quaquauerſum, planæ, ſolerter elaboratæ, omneis cinctorum muris locorum introitus, magnificè, ornatè, atque eleganter exſtructi, treis habent aut quatuor portas ferreis laminis obductas: viæ vrbanæ elegantißimè ſtratæ, adeoq́ue amplæ ſunt, vt quindecim equites iunctim incedentes capiant, adeò rectæ & perpendiculares, vt ab vno ad alterum locum directò viſus pateſcat. Ab vtroque platearum latere pergulæ viſuntur, tabernis plenæ atque*

officinis, in quibus mercimonia diuersi generis pulchritudine, artificioq́; suprà quàm dici poßit, admiranda. Cæteræ plateæ arcus habent, triumphaliũ instar, æqua inter singulos distantia, qua multum illis gratiæ & decoris additur. Sunt enim è lapidibus structi quadratis, emblemate vario iucundè exornati, antiqua certè Romanorum magnificentia, cùm Optices, tùm reliquæ artis præstantia, neutiquã inferiores. Pleræq́; omneis domus tribus ianuis clauduntur, quarum media, maior excelsiorq́;; cæteræ vtroq; latere humiliores sunt, iusta inter se proportione. Regis sedes Suntia est, siue, Chinarum lingua, vrbs cœlestis. De cuius magnitudine, etsi mira ab his gentibus narrantur; eò tamen ꝓbabiliora videri possunt, quòd quãuis multi de ea singillatim multa, consententia tamen omneis inter sese atque congruentia tradant. Ex quorundam itaq; relatione, orbis vniuersi vrbium maxima est: qui minorẽ faciunt, itinere diei æstiui, ab expedito equite plenis paßibus ab vna eius ad alteram portam perueniri posse adfirmãt, exceptis suburbijs. Hæc Quinsai à M. P. Veneto nominatur. De

# De admirandis ædificijs Regni Chinarum, ingenti itidẽ muro ſeu faucibus, quingentorum milliarium longitudine, ibi repertis.

## CAP. IX.

*CHinenſium regio fabris abundat peritiſsimis, materiaq́, ſi vſpiam alibi, ædificationibus aptiſsima. Inter alia terram habet albidam, cretoſam, è qua facti parietes, tantæ ſoliditatis ſunt, vt niſi ſecuribus, aut ingenti vi perfringi nequeant, vt priori capite dictum eſt: Vnde tot per vniuerſam Chinenſium ditionem ſtructuræ, magnificentia & fabrica ſpectabiles: Palatium Regis excipio, quod Taibini eſt. De eo enim peculiari loco agam. In qualibet Metropoli Prorex ſiue Prouinciæ præſes ædes inhabitat, Regis ſumptu conſtructas, forma & opere eximio atque ſuperbo:*

*Hæ amplitudine grandes æquāt pagos, hortis, piſcinis, viuarijs, auium, ferarumq; plenis, eodem modo, vtì, quarum ſuprà memini, regij ſanguinis, procerum domus, inſtructæ. Aedificia priuatorum, egregiè, Romanum in morem, exſtructa, pleraque omnia præ foribus ordine plantatas arbores habēt, quæ veſtibula inumbrant, & venuſtatis multum vicis addunt. Interior domus & parietes candidi ſunt, lactis inſtar, pinde ac ſi papyro læuigata obducti eſſent, latis conſtructi lapidibus quadratis, affabreq; expolitis; laquearia omnia opere durabili, è preciosa materie facta, quòd aureo colore tingi ſoleant, pellucida. Singulis in ædibus cœnationes viſuntur atque viridaria, florum & plantarum amabili varietate cunctis gratiſsima; neque cuiquam domui ſuæ, vel exiguæ, piſcinæ deſunt; vno latere cœnationis ciſtæ quædam, forma abaci, admodum elaboratæ & expolitæ, inanium numinum ſimulacra cælati, tornoq; facti operis ſuſtinent, diuerſa è materie fabricata; Cæteri treis anguli nobilibus picturis alijsq; ſelectioribus ornamentis illuſtrantur. Mundi-*

*ciei*

ciei & in priuatorum ædibus, & omnibus in vicis magna cura: horum ſinguli tres quatuórue, cloacas habent, humanorum ſi neceſſitas poſtulet, excrementorũ, aliarumq́; ſordium, receptacula, ne vici nimirum ſordibus cõſpurcentur: neq; in vrbanis ſolùm, ſed etiam in publicis vijs atque itineribus, huiuſmodi foricæ paſſim occurrunt. Per vrbium quaſdam nauibus circumuehi licet; vtì fit Bruxellis, apud Tungros, ſeu, vt nunc vocant, Brabanos, Mexici, apud Indos, Venetijs apud Italos. Vnde omnibus rebus illæ eò ſunt inſtructiores. Omnia enim nauigia ad ipſas vſq; domos penetrant. Toto Regno viæ elegantius politiusq́;, quàm vſquam penè locorum, ſtratæ cernuntur. Nam ad ipſa vſque montium cacumina, ſiue ſupercilia, ſemitæ diligentiſſimè exaſciatæ, atque vndiquaque ſilicatæ reperiuntur, qui potiſſimus eſt vniuerſæ gentis, & præſtantia admirabili planè viſendus labor. Pontium inſuper magnitudo, artificio memorabilis, quorum quidam nauibus ſunt inædificati, vt apud nos Hiſpalenſis, præſertim vbi immenſi fuerint atque profundi fluuij. In vr-

*be Fuchieone turris cernitur ante Regij rationariorum Præfecti ædes, omnes, vt, qui viderunt, confirmant, Romanorum structuras superans; quadraginta columnis innititur, singulis solido ex lapide: eoq; crassitudinis, & longitudinis, cùm dicentibus stupendæ, tùm audiētibus incredibilis. Hæc igitur silentio prætermittere, quàmpluribus verbis circumstantijsq; explicare, satius fuerit, quod, in cæteris etiam, id genus, occurrentibus rebus, incerto potissimùm autore, aut narratione parùm cōstanti faciundum mihi censeo. Angustiæ quædam, siue murus in Chinarum Regno inuenitur, longitudine quingentorum milliarium; qui ad Ochion vrbem, duos inter altos asperosq; montes Silam, incipit, vniuersam inde regionem ab occasu ad ortum vsque penetrans, à Zinzonio Rege constructus, munitio contra incursantes Scythas, cum queis tùm bellum Zinzonius gerebat. His enim finibus, atque vnico hoc termino à Tartaris China discernitur. Horum tamen milliarium CCCCXX. natura ipsa efformauit, altissimis quibusdam montibus coarctatis: Vacuum deinde*

*inter*

*inter montes ſpatium milliarium octoginta murus manu factus occludit: Is quadratis conſtat lapidibus; orgyas in fundamenti latitudine VII. bis totidem habet in altitudine; ſumpto à mari in Cantone prouincia initio, per Pagiam & Canſaiam exſurgens, in Suſuana deſinit. ZinZonius Rex tanti laboris ſtructuræ perficiundæ, tertium quemque, interdum etiam è quinis duos, totius Regni incolarum, ad opus adigebat. Ac etſi ſanè popularium pro ſe quiſque opportuniſsimum quemlibet, quà proximè operi adeſſe poſſet, locum delegiſſet, plerique tamen è remotioribus terris adciti, partim longinquitate itineris, partim aëris diſsimilitudine paſsim moriebantur. Hæc igitur ſuperba moles ſeditioni anſam præbuit, qua Rex vnà cum Agurio filio, quadrageſimo imperij ſui anno interfectus eſt, vt poſteà fuſius dicemus.*

# De forma corporis, facie, vestibus Chinarum, & viuendi institutis.

## CAP. X.

*VIri fœminæq́ in his regionibus forma, ſpecie, & ſalubritate corporis nemini concedunt: ſtatura, grandioribus, quàm puſillis propiores. Faciem plerunque habent latam, oculos exiguos, nares reſimos, barbas, præter pilos quoſdam, mento dependentes, nullas, tametſi quidam oculis ſunt grandioribus, & barba vultuq́ elegantiori, ſed pauci admodum, ſi cæterorum ſpectes multitudinem; & hos quidem è peregrinis nationibus oriundos exiſtimant, quæ priſcis temporibus (cùm & exteris ad Chinas, & his ad illos aditus pateret) in Chinam venientes, ibi manſerint, & cùm ſuis maioribus confuſæ fuerint. Cantonenſes, qui calidam plagam incolunt, colore Indos referũt; mediæ regionis habitatores albicant, pallẽt, & ſubflaueſcunt, quemadmodum Germani, Itali & Hiſpani; Læua manu promiſſiores,*

res, dextra curtos vngues producunt: crines prolixos magna cura nutriunt, quòd inepta superstitione (cuiusmodi etiam de vnguibus persuasio est) capillis in cœlum se attractum iri opinantur, ideò eos cingulis quibusdam affabrè factis, aciculas aureas habentibus, supra caput constringunt. Primates & nobiles serico vestiuntur, varij coloris, pulchritudine incomparabili; plebs & tenuiores sericis & ipsi vestibus, sed minoris pretij, vtuntur, gausapinis nimirum aut xylinis, quibus maximè abundant, easq́; haud difficulter vt in plaga calore non nimiùm infesta, ferre possunt. Aliud panni genus nullum texunt, quantumuis lanæ sit apud ipsos ingens & copia & vilitas. Tunicis induuntur, quæ maiorum nostrorum more frequentes & oblongas habent plicas, scissurasq́; aliquot amplas, subtus, globulis aureis, versus sinistrum latus commissas, manicas gestant patulas & laxas. Tunicis superinduunt cuculliones aut togas talares, pro cuiusque opibus, nostris penè similes, nisi quòd manicas habent laxiores. Regia stirpe orti, aut ad altiorem dignitatis gradũ prouecti,

uecti, habitu vtuntur à cæteris nobilibus diuerso, hactenus, vt, cum his oras tantùm vestium auro & argento ambire liceat, illi, tunicas Zonasq; eiusmodi metallis intertextas, & cælatas gestent. Calceos optimè factos, ocreas, elegantes holosericas & sculponeas, habent. Hyeme, quamuis ijs in locis admodum clementi, tunicas induunt, & lænas, pellibus Zabellinis potissimùm subfultas, quarum magnus apud ipsos, vt suprà dixi, est numerus: ijs collum etiam inuoluere solent. Cœlibes capillos suprà frontem, in duas partes discriminatos, altioresq; pileos deferunt, vt ab vxoratis internoscantur. Muliebres vestes diligenter admodum confectæ, Hispanicis similes sunt. Monilibus vtuntur fœminæ, variæ formæ, aureis & gemmeis, genere item quodam pallularum laxè manicatarum. Segmentatis prætereà vestibus, sericis, & patagijs ornantur, quæ cum bonitate excellunt, tùm leui pecunia (vt anteà dixi) emuntur. Sericum non rasum, & gausape pauperum vestimentis seruiunt: comas pulchras alunt, quas insigni arte componunt, supraq; caput tænia latio-

*latiore serica, margaritis & gemmis ornata, peruenustè colligunt: sandaliorum quoque illis, & alicubi calonum vsus est. Pedum breuitatem magnoperè probant, quo fit vt eos infantibus arctè colligent, vt scilicet breues maneant. Eos enim qui breiusculos habent pedeis, alijs agiliores esse existimant. Mulierum honestatis, & pudicitiæ studium ingens; nunquam aut è fenestris prospectãt, aut ante ædium limen conspiciuntur: Si vir conuiuam fortè adduxerit, rarissimè prodeunt, neque mensæ adsident, nisi conuiua propinquus, aut aliás familiæ illi sit notissimus. Parentes, aut cognatos, nisi lecticis latæ, non inuisunt. Eas quatuor gestant lecticarij, à lateribus hinc inde, crassis quibusdã funiculis aureis, argenteis, aut sericis obligatas: hoc modo cùm ipsæ cunctos obuios in itinere spectent, à nemine spectantur; multos prætereà circum famulos cursitantes habent. Primariæ igitur in publico vix vnquam cernuntur, vsque adeò ab omnium conspectu amotæ, ac si planè nullæ essent. Ingenio sexus vterque valet; nendi & sculpendi artificijs,*

atque

*atque toreutice & cœlatura magnopere delectantur: eximia pingendi arte, topiariæque peritia supra modum insignes, frutices, arbusta, aues, varij generis, eleganter effingunt: exemplo sunt cistæ, & tabulæ à Chinis ad nos delatæ, quarum vnam vidi, à tribuno militum Ribera, prætore Manigliano anno M. D. XXCII. Olysipponem allatam, de cuius præstantia & pulchritudine, hoc dixisse satis sit, quòd non solùm cunctis aspicientibus, sed & ipsi in primis (quod rarissimum) Hispaniarum Regi, vt & alijs eius artis peritissimis, admirandum opus videretur. Inuenta alia Chinæ habent stupenda, eaque permulta, vnde, etsi vehiculis, curribusque tota passim regione abundant; adinuenerunt tamen rationem, quà vento velisque terra ferrentur, tanta nauigiorum (vt sic dicam) commoditate, vt motu perquàm sint facilia. Quod licèt verissimum sit, & ab ijs, qui ipsimet viderunt, confirmetur, eò tamen credibilius est, quia & apud Indos, & apud Lusitanos, in linteis vasisque, quæ Porcellana vocantur, & à Chinis ad illos deferuntur, huiusmodi vehes depi-*

*ctæ*

*ctæ reperiuntur, quam picturam minimè vanam esse arbitror. Sunt etiam Chinæ in mercatura exercenda, eius sagacitatis atque solertiæ, vt vel minima suas quæque in partes tribuere norint. Qui negotiatorum tabernas habent, (quorum magnus est singulis in vrbibus numerus) ij valuis tabulam adpendunt, omnium quas venum exponũt, mercium indicem, quarum pleræque telæ sunt aureæ, argenteæ, sericæ, varij generis, versicolores, miræ venustatis. Egentiores pannos gausapinos, xylinos, linteos, variæ tincturæ, vili omnia vẽdunt, tàm ob mercium, quàm ob artificum eas parantium, multitudinem; vt propolæ ita etiam Pharmacopolæ & herbarij, eadem de caussa tabulas valuis adfigere solent suarum mercium titulis inscriptas. Sunt & officinæ quædam, vbi fictilia vasa (Porcellana vocant) venundantur, variæ formæ atque coloris, vt rubra, viridia, inaurata, flaua, quæ tàm parui æstimantur, vt, quinquaginta quatuor numis realibus aut octo bacijs nostratibus (vtì vocantur) emi poßint. Fiunt è dura terra cretosa; eam contusam & made-*

*factam in arcam conyciunt lapideam, aut lateritiam, aqua plenam, & humorem imbibere patiuntur, donec diffluat, & in subtilem quandam materiam aquis supernatantem abeat, è qua tenerrima vasa effinguntur: minoris notæ sunt, quæ ex eo, quod fundo inhæret, conficiuntur, eoq́; magis degenerant, quò crassior in imo & deterior fex subsederit; eandẽ cum nostratibus formam habent, inaurari, & quocunque libet colore, infici possunt, indelebili. Statim vbi formata sunt, fornacibus immissa percoquuntur; hoc ita se habere experiẽtia testatur, & propius à vero abest, quàm quod Odoardus Barbosa libro quodam Italica lingua scripto, porcellana ex ostreis, quæ centum annis sub terra latuerint, & alijs huiuscemodi commixtis materijs, formari autumat. Horum præstantissima atque pulcherrima, è Chinarum Regno non auehuntur, quòd Regis & Primatum vsui dicata sint, neque elegantia chrystallinis cedant: Optima fiunt in Susuana prouincia. Suus item per vniuersam regionem cuique opificio destinatus vicus est, quod qui non tractat, habita-*

*re*

re illic non ausit. Ad caput itaque vici alicuius habitantem artificem si noris, inde ad calcem vsque, omnes illius incolas eisdem operis distineri noueris. Filij certa lege idem vitæ genus, quod parentes instituerant, persequi coguntur, neque nisi permissu magistratus, id mutare audent: diuitibus tamen, manuarias artes, si per se nolint, per vicarios in tabernis suos exercere concessum est. Excellentes igitur & præclaros in quouis huiusmodi viuendi instituto artifices illic reperiri necesse est, vt qui à teneris vnguiculis ijs in laboribus quasi nascantur, imbuantur, atque occupentur: argumento sunt multa, affabrè eleganti manu facta, quæ è China Manigliam, & ad Indos Lusitanosq́; deportantur. Quod ad monetam attinet, apud gentes hasce aurum & argentum in vsu est, verùm non signatum pondere examinantur. Suam itaque secum quisque libram monetariam circumfert, simulq́; ad quotidianas scilicet expēsas, auri & argenti partes aliquot: Maioribus verò pecuniarū summis adpendēdis, publicæ in foro, stateræ, pōderaq́; adhibētur, summa cū æquitate, & ingenti magistratuū in hoc negocio sollicitu-

*dine. In Chichieone prouincia, æreũ quoddã signatum numiſma habetur, ſed id in ea tãtùm ditione locum habet.*

# NARRATIONIS HISTORICAE DE REGNO CHINARVM;

## qua religio, cultus idolorum, aliique memorabiles & ſtupendi ritus deſcribuntur,

## *LIBER II.*

### De multitudine idolorum, quibus diuinos honores Chinenſes exhibent: formaque quorundam & effigie, quibus Chriſtiana religio adumbratur.

### CAP. I.



*N duabus prouincijs Paghia, & Tolanchia (in quibus vt diximus, ordinaria Regum ſedes*

*ſedes eſt, quòd Scythis antiquis ipſorum hoſtibus proximæ ſint, & nobiliora illic quàm in cæteris Regni ditionibus omnibus, incolarum ingenia, maiorq́ morum comitas) inter Chinarum idola, vnum, peregrinæ admodum, ſtupendæq́ reperitur formæ, quod neque ipſi diffitentur, & religiosè admodum id venerantur. Corpus vnum eſt, tria humeris impoſita habens capita, directò ſeſe mutuò inſpicientia; quo deſignari aiunt; tres hoſce eiuſdem perpetuò eſſe ſententiæ, atque idem ſemper & velle & nolle. Hæc deſignatio, ſi ad Chriſtianæ pſuaſionis regulam examinetur, non ineptè ad myſterium ſummæ trinitatis referri poteſt, quam nos adoramus, fideq́ certa colimus. Iam ſi alias quoque harum gentium cærimonias, ſacrorumq́ ritus, quæ à ſancto & Catholico religionis noſtræ cultu parum differunt, his addiderimus, à vero non alienum eſſe videbitur, D. Thomam Apoſtolum, ſacris eas concionibus erudiiſſe. Nam è vita D. Thomæ, quæ deſcripta exſtat, intelligitur, eum almo afflatum ſpiritu, cùm Parthis, Medis, Perſis, Brachmanis, aliiſq́ nationibus ſan-*

*ctissima nostri dogmatis instituta deprædicasset, in Indiam posteà abysse, & in vrbe Calamina, quòd in pio ea docendi proposito pseueraret, morte adfectum esse, cúmq; dubio procul præcipuam tùm adorandæ Triados, mentionem fecisset; inde perpetuò quasi tantæ admonitionis monumento, effigiē apud Chinas eiusmodi, atq; imaginē cōspici, licet populus diuturno & multiplici errore, inaniumq; numinum stolido cultu fascinatus, eam quam dixi, significationem planè ignoret: quod tamen eò credibilius esse, aut certè fieri posse videtur, quoniam in Armeniorum libris, quorum magna apud Chinas fides est, traditur D. Thomam per Chinarum terras iter fecisse, cùm in Indiam proficisceretur, vbi interfectus est, eoq; in itinere, Christiana illis placita denunciasse, quāuis exiguo cum fructu, seu successu, quòd gens bellis tùm implicaretur: illinc itaque discedentem, per paucos popularium, cœlesti doctrina imbutos, salutaribusq; aquis ablutos, reliquisse, qui, si res ferret, eadem alios docerent, & per vniuersam porrò regionem propagarent. Imò, ad ea, quæ attulimus, ad-*

*stru-*

ſtruenda; aiunt; quaſdam apud ipſos pictu-
ras reperiri, quæ iconas ſeu ſimulachra duo-
decim Apoſtolorum referant; licèt incolæ,
quos nam illæ deſignẽt, interrogati, de Phi-
loſophis quibuſdam, autoritate, ſapientiaq́;
excellentibus neſcio quid inferant, qui benè
& cum virtute inter homines vitam ege-
rint, cœleſtesq́; poſteà genij ſint effecti. Mu-
lierem prætereà pingere ſolent, quæ infantẽ
geſtat; hanc inuiolata virginitate peperiſſe
dictitant, & præpotentis cuiuſdam Regis
fuiſſe filiam, tãto integritatis ſtudio, vt vi-
tam nullius vnquam criminis labe adſper-
ſam, inter mortales degeret: Imaginem igi-
tur eius ſummo in honore habent, & reli-
gioſa prece colũt, quamuis arcanam rei vim
omninò neſciant. Eum in modum, F. Gaſpar
Cruceius Luſitanus, familiæ Dominica-
næ (quem quibuſdam noſtræ hiſtoriæ lo-
cis, ſequimur, tanquam eum qui Canto-
ne fuerit, & multa horum breuiter, ve-
req́; deſcripſerit) narrat; ſe, cum ali-
quando, in immenſi cuiuſdam atque præ-
alti fluuij parua quadam Inſula eſſet,
ædificium ibi vidiſſe, cœnobij forma,

*ab eius regionis ſacerdotibus conſtructum, quod cum noua & inſueta viſendi cupiditate, intraſſet, præter alia, ſacrarium eleganter exornatum reperiſſe, ad quod gradibus aliquot adſcendendum erat, ferreis inauratis clathris obſeptum, aram in eo precioſo tapete ſtratam in medio inſigniter elaboratum fœminæ ſimulachrum ſuſtinuiſſe, cuius collum brachijs infans amplecteretur, accenſamq́ ante eos lampadem pependiſſe. Quo inopinato aſpectu exterritum, quæſiſſe, cuius imago eſſet; neminem verò, certi quidquam, præter id quod ſuprà retuli, reſpondere potuiſſe. Tantò magis ergo coniectari libet, Diuum Thomam regiones haſce peragraſſe, & diuinas ad populum conciones habuiſſe, cùm tot ijs locis indicia, vmbram quaſi quandam, illic vero olim cultu adorati Dei referentia, remanſerint, hodieq́ ſuperſint. Alijs præterea innumeris erroribus Chinæ inuoluuntur, qui quidem, quòd nihil rationis habeant, defendi nullo prætextu poſſunt, de quibus, ſuo loco, poſteà pluribus agemus.*

Plura

# Plura de Chinarum religione & idolomania.

## CAP. II.

*PRæter eos, quos huc vsq; recensui, multis quoque aliis detestandis erroribus atque opinionibus, peruicax hæc, inanium Deorũ venerationi dedita gens, (aliàs cùm prudentissima ciuitatis suæ moderatione, tùm mirifica, quibuscunque in artibus, ingenij sagacitate laudabilis) laborat, ijsq; tàm absurdis, vt eorum cogitatione, nullius non animus meritò cohorrescat, quamuis, si consideremus eam præclaro Christianæ fiduciæ lumine haud illustratam esse, minus in admirationem rapiamur, absque quo vel acutissimorum hominum subtilissima ingenia pessum eunt. Omnium rerum, tàm aspectabilium, quàm earum, quæ fugiũt aciem, creationem, cælo adscribunt, quod primo suarum literarum charactere depingunt, & potestatem superiorum omnium habere autumant, suaq; lingua, Laocon Zautei, hoc est, magni Dei Vicarium, adpellant, præcipuum id, post solem, Chinarum numen, in-*

*creatum, & absque principio, corporis expers, spiritum esse opinantur. Alius quidam Cansais dictus, eiusdem, cum priori, naturæ, spiritus, in hæc inferiora, vt ipsi censent, imperium exercet, quē penes ortus obitusq; humani est arbitrium. Tres huic alii subiiciuntur, quibus curarum partem delegare solet; quorum Tansquamus pluuiis, & telluri aquis irrigandæ; Teiquamus matronarum partubus tuendis, rebus bellicis, seminibus, frugibus, & terra nascentibus; Zuiquamus Oceano, nauigantibusq;, sunt præpositi. His sacra Chinæ faciunt, à singulis ea petētes, quæ largiendi ex officio ipsis ius ēst, edulia, thus, incensos odores, donaria, sericas, altaribus ornandis, vmbellas offerunt, magna grauitate comœdias aliquot ad simulachrum Dei se acturos pollicentur, vt sunt huiusmodi actionum longè peritissimi. Multi præterea qui animi fortitudine, multiplici artium cognitione, fœlici indolis acrimonia, aut singulari vitæ austeritate, atque erga omneis innocentia, cæteros, dum inhumanis degerent, anteißent, apud ipsos Diui habentur, Pausaos seu beatos vocant,*

Caco-

*Cacodæmonem etiam sacrificiis placant, nō eò quòd malum eum damnatumq́ue esse nesciant; sed, ne quid detrimēti vitæ fortunisue adferat. Diuorum quos venerantur, ingens multitudo, vel peculiari libro percensenda esset, sed quia breuitati studeo, omissis cæteris, trium tantùm primariorum mentionem faciam, quos, eximio, quo suprà dixi modo, honore prosequuntur. Primum Sichian nomine, è regno Trauteico, occasum versus sito, ad se venisse, aiunt, cœlibis autorem vitæ, quæ ipsorum ritu initiatis, vtriusque sexus, admodum frequens est; eius exemplo crines nullos alunt, & leges ab ipso præscriptas arctè obseruant, vt posteà dicemus. Altera, Diua, Quanina dicitur; hæc Zontonis Regis filia, patri eam, vti anteà binas Quaninæ sorores, elocare volēti, morē gerere noluit, quod perpetuā se cœlo vouisse castitatem obtenderet. Iratus ille, in certum quendam locum, instar solitarii secessus, miseram relegat, vbi aquas haurire, ligna comportare, hortum expurgare colereq́ue cogebatur. Multa hinc subiiciunt fabulosa Chinæ atque ridicula; Simias montibus descendentes, laborum partem capessere,*

*diuos*

diuos aquis hauriendis loco virginis occupari, aues rostris hortum expurgare, feras è syluis ligna cōgerere: Regem verò parentem, cùm arbitraretur veneficijs ab ea, damnatisq; artibus hæc patrari (quod sanè, ni falsa sint, quæ isti dicunt, credere lubet) locum, vbi filia degebat, exuri iussisse; ipsam verò, cùm videret incendij sese caussam esse, arrepto, quo crines discriminare solebat, crasso argenteo discerniculo, mortem sibi consciscere voluisse, sed inexpectatò ingenti imbre ignem extinctum, ipsam illinc aufugisse, & in monte quodam sese occuluisse, ibiq; persanctè vixisse; patrem ob admissum in eam facinus, toto corpore lepra infectum, atque à vermibus corrosum, vsque adeò, vt de salute eius medici desperarent, à filia (quæ morbum diuinatione præsenserat) domum redeunte, integræ valetudini restitutum, veniam, ab ea, sceleris, multis, pœnitentiæ, & mutati in melius animi, signis editis, suppliciter petijsse, atque iamiam eam adorare voluisse; Quaninam, cùm tantū honorem diu frustra recusasset, tādem ante imaginem quandam consedisse, vti scilicet huic,

non

*non sibi, prece supplicatum esse videretur. Eam igitur in sanctißimis numerant, vtq; in cœlo (vbi ipsis censentibus, æuum agit) intercesßione sua impunitatem flagitiorum ipsis impetret, obsecrant.*

*Tertia cælitum, & ipsa fœminini generis, à Chinis inter diuos culta, Cuchi, quodam prouinciæ Ochiamiæ tractu, oriunda, Neoma dicitur. Hanc primarij cuiusdam viri filiam fuisse dictitant, cumq; nubere cuiquam nollet, in insulam quandam è regione Ingoæ sitam, diffugisse, ibiq; vitam longo tempore duriter atque aspere actam, summa cum abstinentiæ laude finijsse, multis, dum viueret, editis miraculis: Ideò autem ab illis in cælestium album est relata. Nam, cùm quidam regiæ claßis imperator, cui Campo nomen erat, belli gerendi ergò, aliquando vicinum in regnum contendens, cum vniuerso adparatu ad Buim adpulisset, anchoras nautæ, cùm abire inde vellet, insperatò soluere nequiuerunt: cuius rei caussam, cùm ignorarent; Neomam illis insidentem conspexére. Dux eam accedens, eius belli curam sibi à Rege suo commissam*

*esse ostendebat, petebatq́, si vera esset, sanctimoniæ ipsius fama, consilium sibi vt impartiretur, quidnam faciendum iudicaret? Ipsa si victoria potiri vellet, sese vnà abduceret, monuit. Paruit ille; At, hostes, eius, quam præfectus Principi suo subiicere conabatur, regionis incolæ, Magiæ & veneficiorum perquàm periti, oleo in mare effuso, eã oculis speciem obfundebant, vt omneis naues, medio in igni stare viderẽtur: tùm Neoma paribus Magicarum artium præsidijs, conatus hostiũ & coniurationes elusit, atq́ dissoluit, laboresq́ omneis & adparationes irritas reddidit, nec quidquã inde Chinæ detrimẽti cœperunt. Miraculosum hoc duci visum: cogitabat igitur, vt prudentẽ decuit, fœminam hanc, alijs etiam in rebus, vbi foret occasio, magno Chinis vsui futuram, quoque magis, quam de ipsius insigni artium peritia opinionem conceperat, confirmaret: iussit lignum aridum, quod ipse manu gestabat, viride vt redderet, hoc si integritatis Neomæ exemplũ Regi attulisset, ab illo eum pro Diua adoratum iri. Cõtinuò mulier non viride solùm, sed & suaueolentissi-*

tissi-

*tißimum lignum reddidit. In nauim itaque receptam præfectus in puppi collocauit, & cùm fœlici nauigatione in patriam rediјßet, beneficium id Neomæ acceptum tulit. Vnde imaginem eius nautæ in puppi collocatam, ſemper venerantur, eiq́ꝫ tanquam Diuæ ſacrificant. Atque hi tres Chinarum primarii diui ſunt, præter innumera penè alia, quæ in eorum fanis atque altaribus conſpiciuntur, inaurata ſigna. Hieronymum profectò Marinum, Herradæ comitem, virum fide dignum, qui de compluribus, quæ hac deſcribo hiſtoria, certum me effecit, dicere audiui; in vnica ſeſe Inſula Prouinciæ Auchieonis, vltrà centū duodecim ſimulachra numeraſſe, præter ea, quæ paßim per vicos atque vias, tàm intra, quàm extra vrbes, occurrant: quamuis interdum parùm honorificè á ciuibus tractentur, vt in ſequentibus capitibus demonſtrabitur. Atque adeò clarum hinc eſt, eos, qui certitudinem ſanctæ, & Catholicæ religionis noſtræ, quam Romana profitetur & docet Eccleſia, non agnoſcant, erroribus atque Idololatriæ eſſe obnoxios.*

Quàm

# Quàm parui Chinæ idola sua faciant.

## CAP. III.

*MIseri hi idololatræ tàm parui suos faciunt inaneis Deos, ut sperandum sit, eos, ubi Christianæ institutionis legibus imbuti fuerint, cunctis superstitionibus facilè renũciaturos, sortilegijs præsertim, genti quàm familiaribus, cùm alioqui ingeniosa docilisq́ sit. Is enim, quem dixi, Dominicanæ familiæ Theologus, narrabat; sese quãdoque Cantone in delubrum quoddam venisse, cùm idolis litarent, atq; diuina æmulatione percitum, imagines quasdam humo prostrauisse, id cùm sacrificaturis vindicandum facinus, & antehac inauditum videretur, insano eos furore in sese irruisse, necemq́ sibi intentasse, rogasse verò se, audirent prius, quàm interficerent: primarijs, qui tùm aderant, iustas preces visas, populoq́ pacato, cùm ꝓmissum esset, ita sese verba fecisse: Cùm Deus cæli terræq́ conditor, tanta in eos ingenij & prudentiæ dona contulerit, quibus, nulli, vel clarißimarum atque*

*inge-*

*ingeniosissimarum nationum, secūdi essent, rectè vtique facturos, si operam dederint, ne tantis summæ maiestatis beneficiis abutantur, aut ea tàm flocci pendant, vt propterea saxa & ligna diuino cultu digna, existiment, rationis sensusq́ue expertia, quæq́ue meliora esse nequirent, quàm ab opificibus essent effícta; quam ob rem æquum videri, homines à simulachris potius adorari atque coli, qui eorum sint autores, quàm simulachra ab hominibus. His & similibus argumentis, mitigatos populares, tantum ostendisse: hanc admonitionem nō solùm in optimam partem se accipere, sed & longè habere gratissimam, addita excusatione, de nullo vnquam errore quem litationibus hisce committerent, à quoquam fuisse admonitos, aut edoctos: In huiusce rei testimoniū, imaginibus, vtì humi, quædam etiam cōfractæ, iacebant, relictis, sacerdotem, quem diximus, nostrum in hospitium vsque suum honorificè deduxére. Hinc non abs re colligimus, regnum hoc ope immortalis Dei, facilè ad obseruantiam sanctæ Catholicæ sedis adductum iri, si splendido diuinorum oracu-*

*lorũ lumine oſtium veritatis genti aperiatur, vaniſsimis deteſtabilium geniorum præſtigijs occluſum, à quibus & ipſe Rex, & quicumque ei ſunt ab officijs, Optimatesq́; omneis perſuaſi ſunt, ne nouum vllum aut peregrinum ſacrorum genus admittant, quòd qui ſine expreſſa Regis permiſsione auſit, capite fortunisq́; omnibus, atrociſsimo ſupplicio, euertitur: aliàs haud dubiè natio hæc ad vanos inaniũ numinum, (quæ quidem per ſeſe, quemadmodum demonſtrauimus, haud magni facit) cultus deſerendos, perfacilè impelli poſſet, æquo planè animo pias de imbecillitate ſua admonitiones latura, præſertim, vbi, quantò Chriſtiana ſacra, vaniſsimis ſuperſtitionibus ſuis atque nefandis ritibus præſtantiora ſint, intellexerit; præter hæc etiam ad ſuſcipienda ea atq; obſeruanda admodum procliuis; exemplo ſunt multi Chinarum, ij cum primis, qui in vrbe Philippinarum Inſularum Maniglia ſalutaribus vndis abluuntur, relictaq́; patria, penates eò ſuos transferunt, ne id ſcilicet negligant, quod ad verã animi beatitudinem conſequendam, potiſsimum*

*facere*

*facere ipſis videtur; quæ res facit, vt qui ex illis dogma noſtrum ſuſceperint, religioni omninò deditiſsimi ſint.*

## De ſortilegijs, apud Chinas in ſerio quouis negotio ſuſcipiendo vſitatis, &, quomodo Cacodæmonem inuocent.

### CAP. IV.

*INter alia, quibus Chinæ miſerè laborant, ſuperſtitionum vitia; magnam ſortilegÿs cum primis atque augurÿs tanquam rei certiſsimæ, minimeq́ fallaci, fidem adhibent, certo, potiſsimum, ſortium generi, quo, quando negotÿ cauſâ ſuſcipiendum iter eſt, plerunque vti ſolent: Item, quando filios filiáſue elocant, quando mutuum dant, emunt; cambiunt; aut negotiantur; quidquid denique incœptent, cuius euentus dubius atque incertus videatur; in his inquam omnibus ad ſortilegia confugiunt:*

*Sortes verò alias nullas habent, quàm duo fragmenta ligni, duabus dimidiatis nucibus ſimilia, vno latere, rotunda atque tornata, altero, lata & plana; tenuiq́ filo colligata; ex his ante ſimulachrum in medium coniectis, fœliciter ne an ſecus ceßurum ſit ipſorum propoſitum, negotium, itérue, diuinare ſolent, & inſignibus cæremonijs, blandißimisq́ verbis, Deo ſuo ſupplicant, vt fœlix eſſe quod cæptant, & fortunatum velit, inuicem illi fercula, altarium ornamenta, aliúdue quidpiam precioſum promittunt: Si iactæ ſortes ita ceciderint, vt latior planiorq́ pars ſuperior fiat, aut alterum è fragmẽtis in planam, alterum in rotundiorem partem concidat, id verò pro infœlici omine habẽt, verſiq́ ad imaginem, multis eam verborum contumelijs, conuitijsq́ acribus conſectantur, furciferum, nebulonem, aliaq́ huiuſmodi infamia nomina ingeminantes; vbi iam ſat irarum, blanditias priores repetunt, petunt veniam, plura quàm prius, donaria promittunt, quòd iam ſecundiorem ſcilicet ſortium iactum ſperent; quas mox denuò mittunt, atque ſi addixerint, laudes*

*gra-*

*gratesq; in idolum congerunt, & promißis accumulant. Si abdixerint, prioribus miserum simulachrum probris exagitant: si res cuius euentum sciscitantur, maioris fortè momenti sit, sortesq; improsperæ edantur, arreptas humi affligunt, pedibus conculcãt, in aquas aut ignes proÿciunt, atq; aliquandiu vstulant; interdum tàm diu cædunt, donec rotunda sortium pars supernè procidat, qui casus fœlicem propositi exitum denunciat: tùm verò sortibus prosperè iactis, ingentem in lætitiam, hilari cantu, laudibusq; innumeris effunduntur, & in honorem Deorum, pullis, anatibus, oryza cocta, syncipite elixo, & frondibus coronato (quod edulÿ genus pluris quàm alia omnia æstimant) ingenti item vini cantharo, faciunt, hoc modo, vt volucribus rostrorum aciem, & vngues, syncipiti etiam rostrum abscindant, omniaq; vnà cum aliquot oryzæ granis in patinam coniecta, & vino adspersa super aram collocent, reliquum tandem ipsimet ante simulachrum, magna cum lætitia atque hilaritate comedant. Aliud prætereà sortilegÿ genus huiusmodi apud illos in vsu*

*eſt; paruula ligna multa in ollam conijciunt, chartulis aliquot impuris, circùm ligata: tùm vbi ea diu multumq́ verſando cõmiſcuerint, puerum aliquem vnum educere iubent, ſi chartulam inuenerint, ea à litera incipientem, quæ bacillo inſcripta eſt, totum, quod in manibus habent negotium, ex eius literæ ſenſu ſucceſſurum ſibi arbitrantur. Ad hæc omnes hi populi, quotieſcunque calamitas aliqua aut ærumna in ipſos ingruit, quemadmodum nos tunc Dei Opt. Max. opem implorare & ſolemus, & debemus, ita ipſi ad Cacodæmonem confugiunt, de rebus ſuis ſæpè cum eo colloquuntur, aduocant illum, conſilium, auxilium, miſeriarum remedium aut finem ſupplices expoſcunt, vt fecerunt ſpectante R. P. Petro Aluaro, Franciſcanæ familiæ cœnobiorum Coryphæo, cùm is anno Virginei partus M. D. XXC. è China reuerteretur, vt in deſcriptione itineris illius porrò demonſtrabimus. Tali autem ritu atque modo Cacodæmonem inuocant. Quidam ex ipſis facie pronus in terram procumbit, alius adſtans, quædam cantans, è libro legit; circumſtantium,*

ctum pars ei respondent, tintinnabulis sonum edunt, tympanis crepitant; intereà, qui humi iacet, vultu totoq; corporis habitu horrendo atque atroci, eos edit gestus, è quibus eum à Dæmone obsideri, manifestum fit. Tùm demum de rebus suis sciscitantes, oraculum ab Dæmone petunt: respondet fanaticus, pleraque mentiens, mæandris tamen interpretationum mendacium, vt aliud responsum fuisse videatur, inuoluit; semper ferè, aut voce consultoribus respondet, aut scripto, quod tùm, cùm à fanatico, sermonem extorquere nequeũt, hoc modo exigunt: peristromati rubro in solum expanso, aliquid oryzæ inijciunt, quam deinde complanant, posteà cuidam scribendi ignaro, lignum quodpiam in manus tradunt; circumstantes cantillant, nolisq;, vt in prius descripta adoratione seu execratione fecerunt, tinniũt: mox paulò Cacodæmon, eum, qui lignum manu gestat, sensim occupat; is, eo ligno in oryzam efformat characteres, quos cæteri depingunt, colligunt inde in verba literas, è quibus coniunctis respon-

*ſionem ad interrogata eliciunt, quamuis, plerumque, vt dixi, mendacem & falſam, cùm ab ipſo mendaciorum omnium parente proficiſcatur, qui licet interdum vera etiam dicat, non id tamen veritatis ſtudio facit, ſed vt ſpecie veri homines ſexcentis mendacijs decipiat: atque huiuſmodi ſortilegijs & deteſtanda Cacodæmonis inuocatione, nihil apud hoſce populos frequentius, nihil eſt vſitatius.*

## Quid de initio mundi, & creatione hominis, Chinæ ſentiant.

### CAP. V.

*QVantumuis Chinæ ea naturæ atq; indolis ſagacitate præſtent, vt alias ad ſeſe collatas gentes, cæcas eſſe arbitrentur, exceptis Hiſpanis, quos nuper admodum noſcitare cæperunt, licet etiam tàm phyſices, quàm moralis Philoſophiæ, Aſtrologiæ etiã, ſeu ſyderum ſcientiæ, gnari ſint (eiuſmodi enim artes publicè apud ipſos docentur) in va-*

*varias tamen propendent absurdas de ortu mundi, hominisq́ creatione, opiniones; quarum quasdam ex ipsorummet libris, eo potißimum, qui de origine mundi inscribitur, hoc capite describemus. Primus Chinarum error eſt, quod aiunt, cœlum, terram, aquas ab æterno chaos & rudē fuisse indigestamq́ materiem, sed quendam, qui in cœlo degat, Tain nomine, insigni arte à cœlo terram segregasse, illud in altum discesßisse, hanc, pro natura sua, in eum, vbi nunc sit, locum, grauitate latam & pondere. Addunt Tain hunc, ex nihilo, virum, qui Panzon, fœminamq́ quæ Panzona dicebatur, condidisse; à Panzone, cui eam Tais potestatem dederat, Tanomum quendam, tredecimq́ illius fratres, etiam è nihilo creatos; Tanomum tanti fuisse acuminis, vt singulis rebus creatis sua imponeret nomina, quæ earum vis, quæ natura, quis omneis ad morbos vsus esset, quas vtilitates mortales inde percipere possent, perdocente cuncta Taine, calleret. Hunc, fratresq́, porrò multos habuisse filios; è queis maximus natu Teiēcomus, duodecim; duodenûm vetustißimus Tuuncomus nouem,*

*cætera denique fratrum turba ingentem liberorum numerum genuerint, atque hoc hominum genus posterosq; innumerabiles durasse Chinæ arbitrantur annorum plus nonaginta millibus; Tain inde primum maris & fœminæ conditorem vniuersam hominum stirpem deleuisse, iniuriæ cuiusdam, sibi ab ipsis illatæ vlciscendæ caussâ, simul odio atque inuidia percitum, quòd tot ab sese iam artes didicissent, vt insigni earum scientia ipso Tai neutiquam inferiores esse viderentur, neque tamen, quod cùm ab eo docerentur, facturos se promiserant, pro domino eum suo agnoscere vellent. Posteà, cœlum corruisse Chinæ aiunt, & à Taine subleuatum, qui secundò tùm hominem creauerit, quem LoZiZam vocarit: LoZiZam duo habuisse cornua, persuauem odorem exhalantia, è quo prognati sint sexus vtriusque non pauci; illum dehinc disparuisse ingenti marium & fœminarum multitudine post se relicta, è queîs, quæ hodie terras colit humana gens, originem traxerit. Primùm LoZiZami filium AZalanum annis vixisse nongentis. Deinde à cœlo creatum esse quendam*

dam

*dam nomine AZionem, matre Lutina, ſolo aſpectu capitis leonini, in cœlo ſtantis concipiente, filiumq́, Truchinæ, Sciantonis Prouinciæ loco, enixa; eum vixiſſe annis octingentis. Secutum alium, Vſaonem dictum, in orbem iam hominibus vndique plenum aduentaſſe, victu vſum ferino atque aſpero, docuiſſe mortales, tecta ex arboribus ſtruere, in quibus ab ferarum ſæuitia ſeſe tuerentur, quæ magnis eos detrimētis afficiebant, compluresq́, interimebant; veſtiariam quoque artem adinueniſſe. Vſaoni ſuperueniſſe HunZuin; ignem, ab hoc, vſúmque eius, cibos coquendi, emendi, vendendi, permutandi, commonſtratam rationem: in negotiationibus, eum fuiſſe tunc morem obſeruatum, vt certis nodis, funiculo cuidam innexis, inuicem, quid vellent, exprimerent, quòd ea tempeſtate literarum formæ nemini dum eſſent cognitæ. Mulierem poſteà quandam ( HauZibonem eam vocant ) aiunt filium peperiſſe Ochieuteum; hunc & alia multa, & matrimonium quoq́, excogitaſſe, cumq́, ſcitè admodū varij generis ſymphoniarum organa tractare ſciret, famam*

per-

percrebuisse, mirabiliter eũ cælo delapsum, & cùm tellurem magnum ad id momentum attulisse, tùm matrem Ochieutei aliquando iter facientem vestigiumq́; humanum fortè aspectantem, suum in id pedem impreßisse, continuoq́; clarißima de cælo luce circumfusam, filium Ochieuteum concepisse: Ochieutei filium fuisse EZontomum, medicinæ, astrorum sciẽtiæ, præsertim eius, quæ è sideribus, de futuro rerum euentu diuinat, agriculturæ, aratri, & ligonis, inuentorem. De EZontomo mira Chinæ prædicãt, inter alia, hoc; cum septenas diuersi generis venenatas herbas, nullo vnquam salutis suæ damno deglutire ausum, & annis vixisse quadringentis. Ab hoc Vitein, primum Chinarum Regem ortum; huius posteritatem, Regium imperium, continua Principum mutuò sese consequentium succeßione, confirmasse, vtì posteà, vbi de Rege Vitei, cæterisq́; dicendum erit, pluribus agemus. Has de initio mundi fabulas Chinæ effutiunt, è quibus præclarè apparet, quanta sit virium humanarum, nisi diuina benignitate subleuentur, puraq́; sacrosanctæ Religionis

*gionis nostræ luce illustrentur, imbecillitas, quocumque tandem vel summâ ingenij industriæq; sagacitas atque præstantia in ordine collocentur.*

## Quòd immortales animos, & post hominum ex hac vita excessum, aliam superesse, in ea, pro suo quemq; merito aut præmio aut pœ- affectum iri, certò statuant Chinæ: & quomodo precentur pro mortuis.

### CAP. VI.

*Ex hucusque deducta narratione nostra, haud, opinor, absurdè argumentabimur, D. Thomam Apostolum, diuinis ad harum regionum populos habitis concionibus, ea in hominum animis reliquisse insita, quæ veritati consentanea, sanctissimisq; religionis nostræ decretis, conformia videri queant, vt & hactenus audiuimus, & posteà audiemus. Inter ea verò animorum immortalitas à Chinis firmissimè credita, quemadmodum hoc capite ostendam, eadem*

*eadem certitudine adſerentibus, præmijs animos aut pœnis affectum iri, prout in corporibus dum eſſent, benè vel ſecus vixerint; quæ fortè cauſſa eſt, non malè inſtitutæ harum gentium vitæ, ea fortè in deterius rueret, niſi veriſſima hac notione in officio contineretur. Sperare itaque lubet, ſupremam maieſtatem, quandoque eas clementer illuſtraturam eſſe. Aiunt, omnemq́ extra controuerſiam ſtatuunt, animos cœlo ortos, quòd ab eo æternitatem acceperint, nunquam interituros, & qui ex illis (ſecundum leges Chinarũ) præclarè in corporibus, quib. à Deo infuſæ ſunt, æuum agant, à ſceleribus abſtineant, neminiq́ noceant, eos in cœlum abituros, & beatos genios redditum iri, ibíque ingentibus in delicijs æternum victuros; eos verò, qui, dum in terris degerent, flagitijs ſeſe ſceleribusq́ innumeris polluiſſent, tenebricoſo in carcere infœlicibus vnà cum genijs, diris horrendum in modum ſuppliciis mactatum iri. Eſſe etiam fatentur locum in quo animi in beatorum ſpirituum numerum recipiendi, prius ab omni criminum labe, dum corpora incolerent,*

*con-*

*contracta, expientur; atque si amici defuncti & propinqui, eo nomine aliquid praeclari perpetrarint, expiationem illam eò citius absolui dictitant; inde toto Regno inferiae precesq; pro mortuis frquẽtes, peculiari, huic rei, die, sextili mense, destinato; neque in fanis, sed domi, hisce sacris, hoc modo operari solent: quidam, monachis nostratibus haud absimiles, vbi tempora, dies, aedes, precibus huiusmodi & funeralibus perficiendis, inter sese distribuerint, destinatas sibi quisque domos ingreditur, sui ordinis duos secũ adducit, domesticos hortatur, si defuncto amico aut familiari suo aliquid opis adferre velint, quò à labe ea expurgentur, quae quò minus caelestium vnus ille fiat, impedimento sit, sollennes vtì preces sacrificiáque perpetrent. E tribus illis viris religiosis is, qui sacerdotis instar est, tympanũ quoddam paruũ; duorum comitum vnus, asserculos aliquot, alter tintinnabulũ, adferũt; mox aram erigunt, in eaq; diuos, defuncti patronos, atque tutelareis collocant, eos thure, alijsq; suffimentis lustrant. Quo facto, quinque aut sex mensas ferculis onerant,*

*mani-*

*manium, ſcilicet, & diuorum ſedādæ fami, poſteà, tympana pulſitant, tinniunt tintinnabulis, certas quaſdam cantiones mortualibus deſtinatas, alternantibus choris decantāt, tanta ſuauitate, vt (ſi Hiſpanis, qui audiſſe ſe dicunt, credimus) ad modulos illos commodè ſaltari poſſe videatur. Interim dum hac ratione, ad tympanorum & nolarum ſonitum cantillant, alter alterum ordine ſecutus, ad aram accedit, offert chartulas literis notatas, conſident inde rurſus, atque ad priorem cantum redeunt. Finitis precibus & cantilenis, myſtagogus ille primarius cātando precationem inchoat, ictibus interim certis menſam aſſerculo, quem ob id manu geſtat, feriens, reſpondent pari ſono bini Symmyſtæ demiſſis capitibus, pictasq́ interim quaſdam & inauratas ſchedas ante aram comburunt. Huiuſmodi cæremoniis totam noctem tranſigunt (quod idoneum feralibus ſacris tempus arbitrantur) omnibus, vt aſſolet, tàm per ſacricolas, quàm per domeſticos confectis, menſis adſident, dapes appoſitas diripiūt, ita reliquum noctis exigentes lucem operiuntur. Hanc*

*for-*

*formam esse volunt expiationis animorum qua ad fœlicium geniorum ordines promoueantur. Ignobile vulgus hoc amplius pro certo habet, flagitiosorum animos, antequam ad inferos detrudantur (quos quidẽ extremo demum mundi die pœnis scelerum exigendis, conditum iri sibi persuadent) à cœlo in bubalorum, aliorumq́ huiusmodi animantium, proborum verò, in Regum & magnatum corpora transferri, in quibus honorificè tractentur, lauteq́ victitent. Innumeras insuper alias opiniones vanas tuentur, quarum & hæc vna; animum ex vno in aliud transire corpus, quod quibusdam etiam veterum Philosophorum, æquè tamen deceptis, & à scopo veritatis aberrantibus, visum est.*

## De delubris: sacris, tàm virorum quàm fæminarum ordinibus apud Chinenses, & eorum Antistitibus.

### CAPVT VII.

TOt apud Chinenſes ſacrorum cærimoniæ ritusq́ Chriſtianis moribus conformes reperiuntur, qui inſignem harum gentium naturæ atque indolis acrimoniam ſatis ſuperq́ comprobent, & credibile omninò ſit eas à Diuo Thoma, duodecimuirûm Chriſti Opt. Max. comitum, vno, diuinis de rebus inſtitutas, & ad vitam honeſtè, cumq́ virtute degendam ſalubribus monitis fuiſſe incitatas, vti iam anteà ſæpius diximus. Fidem ingentem addit, magna ſacrorum conuentuum (quos cænobia voces) multitudo, non in cunctis ſolùm totius Regni vrbibus, locisq́ habitabilibus, ſed in vaſtis etiam, atque ab omnium hominum cultu, & conſortio remotis ſolitudinibus, paßim obuiorum, in quibus viri atque mulieres in vniuerſum degunt, ſuis inter ſe limitibus & ſeptis diſcreti: vterque ſexus ſuos habet (quorum mandatis obedit, quemadmodum nos ſolemus) præſules ſuasq́ Antiſtitas. Habent autem quatuor tantùm huiuſmodi ordinum, quæ quidē nos ſciamus, genera, quorum vnicuique ſuus præeſt Pontifex; Is Suntiæ, plerunq́, aut Taibini (quæ etiam Principis Regijq́ ſenatus ſedes) ſeſe

con-

continet, Tricon Chinensium lingua dicitur: Singularum Regni prouinciarum sacratis conuentibus, Coryphæum, siue (vt vocari solet) Prouincialem quempiam præficit. penes hunc singula (per suam cuiusque prouinciam) cuiusuis ordinis collegia accedendi, inuisendi, in delinquentes animaduertendi commissa aut omissa emendandi, ius est, secundum præscriptas cuilibet familiæ leges atque instituta: illis etiam collegijs suum cuique præponit Antistitem (cuiusmodi apud nos sunt, qui Priores & Guardiani vocantur) cui cæteri eius ædis mystæ subijciuntur. Pontifex quamdiu viuit (nisi fortè ob morum improbitatem officio amoueatur) sacrorum principatu potitur, neq; Coryphæorum, quos dixi, votis, sed à Rege, aut senatu Regio deligitur, qui vita sit famaq; probatissimus: Serico vestitur, eius coloris, qui ordini suo, ex sacrarũ legũ præscripto cõuenit, qui aut niger est, aut flauus, aut albus, aut violaceus (his .n. colorib. quatuor, quas diximus, diuersæ pfeßionis religiosæ familiæ inter se distinguũtur.) In publico nunquam conspicitur, nisi eburnea gestatus inaurata sella, à quatuor, aut sex hominibus

eiusdem coloris veste cuiusmodi ipse vtitur indutis. Populares eum nisi submißis genubus, haud alloquuntur. Peculiari vtitur ad expediendas, quæ ad sacram pertinent procurationem, sui ordinis literas, seu diplomata, sigillo; opulentis à Rege, tùm ipse, tùm domestici eius, & familiares, prouentibus sunt ditati. Amplißimi quoque sunt conuentuum atque collegiorum reditus, partim à Regijs donationibus, partim à priuatorum liberalitate profecti. Stipem enim sacricolæ hi singulis in vrbibus, alijsq; locis, vbi constructas ædes habent, exigunt, quæ liberalißimè certatimq; in ipsos effunditur. Incedunt, vicatim mendicantes (quod ipsis solis licet) & cantu quodam, ad sonum afferculorum, aliorumq; Symphoniacorum modulorum, composito, vtuntur. Stipem petituri proferunt grandiusculas quasdam tabellas, preculis inscriptas, quas populi à sceleribus expiandi caußâ recitant; qui stipem dant petentibus, tabulis eam illis inijciunt aut imponunt, riteq; ita animum à criminum contagione liberatum existimant; at tonsa barba capiteq; sacricolæ omneis incedunt.

ſunt, quiq; eiuſdem inſtituti ſunt, cuncti
vnius coloris veſtem geſtant; vnà eodem in
loco omneis epulantur; ſuum tamen ſeorſim
quiſque conclaue habet, inſtar noſtrorum
monachorum, gauſapina veſtiuntur, ijs,
quos dixi, coloribus tincta, ad numerum
ſphærularum vti nos, preces ſuas, alia ta-
men ratione, fundunt; exequijs omnibus ſti-
pis petendæ cauſſâ interſunt; ſingulis nocti-
bus, duabus ante ſolis ortum horis, oraturiè
ſtratis conſurgunt (quod monachis noſtris
nocturnarum precationum ergò facere ſol-
lenne eſt,) & ad exortam vſque lucem, v-
nà, quàm religioſè precantur; Interim dum
orant, campanis omnibus pulſatis, quarum
quidem in vniuerſo regno, ſonus atq; ſym-
phonia ſuauiſſima eſt; è chalybe etenim ple-
ræque fiunt. Precationes ſuas ad cœlum di-
rigunt, & ad Diuum quendam Sichian,
quem huiuſce viuendi ritus autorem, ſan-
ctiſſimũq; virum fuiſſe autumãt; ſacros or-
dines abdicare, cùm libet, Tricone tamen
ſeu Pontifice adſentiente, poſſunt; quam diu
verò religioſorum inſtituta ſequuntur, con-
tinentes & cœlibes manere coguntur, tàm

*viri, quàm fœminæ; qui quæuè secus fecisse conuicti fuerint, seuerissimè plectũtur. Cùm quis religiosum aliquod institutum amplectitur, parens ipsius aut propinquus cæteris eadem professione initiatis sodalibus splendidum dat epulum: Primogenitus quisque seu natu filiorum maximus, publico Chinarum Regni scito, religiosorum placitis initiari prohibetur, parentesq́ue senio defectos alere cogitur. Mortuos sacricolas lauant, & attondent, antequàm sepeliant, vestituq́ue atro induunt: Si quem, siue marem, siue fœminam, ob delictum aliquod sacratis semel indumentis exuerint, nunquam ea reddunt, sed exautoratus ille grandem tabulã collo dependentem publicè cunctis spectantibus circumferre cogitur, cum elogio, quo facinus descriptum continetur. Quotidie, manè, vesperiq́ue numinibus suis, thura, lignum aloës, & alios varij generis odores suauissimos, adolere solẽt. Quo die nauis recens fabricata in aquas primùm immittitur, sacerdotes togis talaribus sericis splendidè vestiti, conscensa puppi, sacrificant, & preculis aliquot recitatis, quasdã miris imagini-*

gini-

*ginibus depictas chartulas ante ſimulachra conſcindunt, additis quibuſdam cærimonijs & cantilenis, quas, ad tintinnabulorum aliquot ſonum modulantur. Cacodæmonem venerantur qui pictura expreſſus in prora nauium cernitur, ne quod ab eo nauigantes detrimentum capiant. Hilares deinde ad epulas ſe conuertunt, quòd nauim conſecratam, nauigationemq́; ideò fœliciſſimè ceſſuram eſſe pro certo habeant; ſecus ſi feciſſent, ſecus etiam ceſſura omnia, anxiè formidaturi.*

## De ritibus Chinarum in ſepeliendis mortuis, & de lugubribus eorum veſtimentis.

### CAP. IIX.

*OPeræ precium me facturũ eſſe exiſtimo, ſi hoc loco deſcribam Chinarum ritus, quos in mortuis ſepeliendis obſeruant, ſanè q̃ memorabiles. Defuncti, ſtatim vbi animam is exhalârit, cadauer totum lauant,*

*preciosissimos, quos habent, pannos, odore bono suffiunt, cadauerq́; illis conuestitum, in sedem seu locum inter omnes honestissimum collocant: accedunt ad mortuum ita compositum, liberi, vxor, pater, mater, fratres, eiq́;, alij post alios, in genua submissi, valedicunt, ingenti mœrore & fletu; idem faciunt in ordinem dispositi propinqui, familiareis, domestici, ad seruos vsque, si quidem seruitia defunctus habuerit; quem in feretrum posteà deponunt odoratissimis contectum lignis (quibus abundat regio,) id vndiquaque diligenter obturant, ne vspiam fœtoris quidquam exeat, tùm in binis locant sedilibus, aut in mensa in cubiculo, omnibus, quàm fieri potest, rebus, ornatissimo, linteoq́;, ad terram vsque dependente, albo cōtegunt, in quo mortui ad viuum expressa imago visitur: in atrio, ante cubiculum illud proximo, mensa adstat, panibus varijq́; generis fructibus onusta, ad quam accensi conspiciuntur cerei: Continuis quatuordecim diebus hunc adparatum retinent, intereà flamines eorum, & religionibus initiati, singulis noctibus eò veniunt, cantant,* sacri-

ſacrificant, aliasq́ ſeruant cærimonias ipſis vſitatas; afferunt, præterea, ſchedas multas picturatas, eas ante defunctum, multiplici cum ſuperſtitione & vanitate, comburunt: multas ẽt chartas, funiculo de colũna quadã adpendunt, has ſæpè attingunt, & hinc inde manibus verſant, altum clamore ſublato, vtì ſcilicet animus vita functi, (quemadmodum ipſis videtur) in cœlum euolet. Per quindenos, quos dixi, ferales dies, menſas ſemper paratas, dapibusq́ inſtructas reperias, vt ſacerdotes, propinqui, & amici, eum, qui vixit, interuiſentes, quo cuticulam curent, habeant. Elapſo eo tempore, & abſolutis omnibus cærimonijs, ſandapilam in campum deferunt, & ſub colle quodam in familiari ſepulchro in ſaxum inciſo condunt; Pinum deinde ei adfigunt, qui mos ad omnia ſepulchreta ab ipſis vſurpatur. Hanc nunquam detruncant, ſed ſpontè vtì rem ſacram exareſcere ſinunt. Qui funus comitantur, eo ordine incedunt, quaſi ſacram pompam ducerent: Neque deſunt Cantores, & varij generis muſica inſtrumenta, quorum modulos, tota via, vſque dum tu-

mulo cadauer ſit illatum, audire licet, atque illæ demùm exequiæ honeſtiſsimæ, & magnificentiſsimæ exiſtimantur, quibus plurimi ſacerdotes ac muſici interfuerint. Magnos pro re nata, in huiuſmodi mortualia Chinæ ſumptus atque adparatus faciunt; ad inſtrumentorum muſicorũ modulos multas decantant ad Deos ſuos oratiunculas, denique ſupra monumentum multas comburũt chartas (in quibus ſeruitia ſeu mancipia, & equi picti) aurum item, & argentũ, telasq́ ſericas & alia, eaq́ omnia defuncto altero in æuo vſui fore arbitrãtur. Defuncto in ſepulchrum illato, in omnem lætitiam effunduntur. Viſcerationesq́ ingẽtes dare ſolent, quòd mortuorum animos à beatis geniјs atque cælitibus ſimilibus planè gaudiјs in cælo excipi firmiter credant. Propinqui cum miniſtris & familiaribus, pullati per id tẽpus obambulant, veſtibusq́ aſperrimis induuntur, præſertim tunicis quibuſdam, è lana admodum hirta contextis, nudam cutem operiunt, quibuſdam etiam funiculis cinguntur. Epomides eodem è panno confectæ ſunt, iјsdẽ quibus cæteri galeri, acubus,

hos

*hos ita capiti adaptant, vt oculi penè obtegantur. Patre matréue è viuis ſublata, anno aut biennio, liberi ferales circumferunt veſtes; quiq́ magiſtratum gerunt, tùm, permiſſu Regis ſolita aliquamdiu munia intermittunt, interdum poteſtatem planè abdicant, idq́ ſibi magno honori ducunt. Amicorum, ex humanis exempto, minus propinqui, aliquot menſibus, linteas induunt aſperas veſtes coloratas; reliqua familiarium turba, ſepulto cadauere, funebria veſtimenta ſtatim abijcit.*

## De ritibus Chinarum in cōtrahendis matrimonijs.

### CAP. IX.

*CHinæ cùm primis de liberis maturè elocandis ſolliciti ſunt, antequàm vitiorum & libidinum illecebris capiantur, atque polluantur. Sollicitudo hæc efficit, vt in vniuerſo hoc ampliſſimo Regno, multò minor ſit flagitiorum, aut ſceleratè viuentium frequentia, quàm in alijs ei magnitudine longè etiam pòſt ferendis*

dis regionibus. Verùm persæpè accidit, vt nimia parentum hac in re cura sit, atque diligentia, adeò, vt, in cunis, adhuc vagientibus, aut nondum etiam vtero editis infantibus conditio quæratur, certis tamen rationibus & modis inter vtramque partem ritè constitutis, arrhis etiam vtrimque interpositis, toto denique contractu matrimonialibus tabulis cõfirmato. Sed, cùm finitimis omnibus populis, tùm vniuersæ Chinarum ciuitati, mos est, vt, qui vxorem ducturus est, ei, quam ambit, dotem offerat. Instante enim iam nuptiarum die, sponsæ parens, splendidum domi suæ conuiuium instruit, ad id, parentes, cæterosq́; sponsi propinquos inuitat; idem, sequenti die, sponsi parens, aut consanguineorum quispiam facit. Finitis epulis, sponsus dotem sponsæ adnumerat, omnibus conuiuis spectantibus: Ipsa inuicem patri, eam, aut matri, si quam habet, reddit, remunerandi scilicet laboris, & molestiarum ergò, quas in educanda filia exantlauerant. Apud Chinas, itaque, & finitimas gentes, ditissimus censetur, qui plureis filias habuerit. Sponsæ parentes, quamdiu viuunt,

*viuunt, dote, vt lubuerit, vtuntur. Ab eorum morte, quod ſupereſt, ad filiam redit, à qua acceperant; hæc ſuis porrò liberis relinquit, aut ad quoſcunque voluerit, vſus conuertit. Viris tot ſibi fœminas matrimonio iungere licet, quotquot alere poſſunt. Sorores tamen & conſanguineas ducere prohibentur, qui duxerit, ſeuerè plectitur. Cæterùm inter omneis eas mulieres, quæ prima nupſit, pro vxore, cæteræ pro concubinis habentur. Cum prima aut ſecunda, ſub eodem ſi lubet, tecto, habitant, aut in diuerſas ædes illas diſtribuunt: mercatores aut negociatores illas per ea loca diſpertiunt, in quibus negociantur. Sed cæteræ ad primam collatæ, ancillarum loco ſunt. Ad filiorum natu maximum, à morte patris, maxima pars bonorum primæ coniugis, hæreditate venit; cæteri fratres, quod ſupereſt, æqualiter inter ſe diuidunt, ſiue prima, ſiue cæteris coniugibus ſeu concubinis ſint prognati. Si primæ vxori filius nullus ſit, ſecundo ductæ filiorum vetuſtiſsimus maioris partis bonorum primæ fœminæ, hæreditatem cernit; raro tamẽ euenit, vt hæredes, vel è prima nupta vel è*

cæteris desint. Si maritus vxorem in adulterio deprehenderit (quod tamen ad miraculum vsque rarißimè fit, tanta illis honestatis, tanta est pudicitiæ cura, tantum adulteri adulteræq; dedecus) impunè eam, simul atque adulterum interficit, si simul eos in adulterio deprehendat. Sin lege agat, facinusq; probetur, tergo, pro more gẽtis, virgis cæsi, pœnas adulteri luunt, vt suo loco dicetur. Inde adulteram in seruitutem vendere marito licet, vt, quam dederat, dotem recuperet; reperias tamen, apud Chinas, qui non solùm lucri caußâ, ad adulteria conniueant, sed ipsimet etiam lenones agãt. Apud Tartaros, eorumq; finibus proximos populos, hunc obseruari matrimonia contrahendi modum, admiratione dignum, aiunt; Præsides Reipubl. & magistratus, masculis & puellis certum præfiniunt tempus, intra quod suam singuli voluntatem ostendant, anteq ex ephebis excesserint, aut ad nubiles annos deuenerint, velint sacris initiari, seu religiosæ ꝓfeßionis habitum suscipe, nec ne? Intra præstitutũ tempus, omneis vtriusque sexus qui cælibes manere noluerint, in certã

ad

*ad id destinatā, in singulis prouinciis, vrbē, sese conferre, & certo die ad primarios duodecim viros, à rege ad munus hoc delectos adcedere coguntur; Illi nomina tàm mariū, quàm fœminarū, adnotant, & quæ cuiusq; cōditio, quis status, q̄ opes, quantū quisq; dotis maritæ suæ numeraturus sit, expiscātur. Dinumerant posteà, & vbi mares plures q̄ fœmellas repererint, sorte, vtris manendū, vtris discedendū, sequensq; annus sit expectandus, cōmittunt; quiq; priori anno discesserint, sequenti, primi omnium elocātur. Deinde, sex è duodecim viris, mares oēs in tres classes diuidunt: In prima ditißimos cēsent, nihil pēsi habētes, formosi an deformes sint; In secūda, mediocriter opulētos; in tertia, paupes. Atq;, dū isti hæc inter viros actitāt, cæteri sex, eodē modo, fœmineum genus discriminant: Pulcherrimas in vnū cogunt locum; alterum mediocri forma præditæ; tertium deformes occupant. Confecto hoc negotio, formosißimas ditißimis viris elocant, hi, quantum magistratus decreuerit, dotem eis numerare coguntur; forma mediocres, mediocriter opulenti, nulla*

*nulla tamen numerata dote, ducunt; pauperibus deformes obtruduntur, qui æquè atq; diuites dotare eas coguntur: æqualiter enim illæ diuidi ſolent. Hac ratione (memorabili ſanè) omnes vtriuſque ſexus vno die elocantur, ſeu connubio iunguntur, non perinde tamen fortè ſingulis grato. Matrimonijs ita contractis, feſtæ atque magnificæ celebrantur nuptiæ, regijs in ædibus ad hæc gaudia deſtinatis, lectorum, vtenſilium, aliarumq; neceſſariarum rerum multiplici copia inſtructiſsimis, ne ſcilicet ſponſis ad cebrandas egregiè nuptias, quidquam deſit: Inde domum omneis redeunt. Hæc verò de vulgo tantùm & plebeijs accipienda ſunt; neque enim nobilium, aut equeſter ordo his legibus alligatus, qui vix certum aliquem in matrimonijs contrahendis morem obtinent, ſed, vt lubet, agunt, & vnusquiſque aut ipſe ſibi parem deligit, aut mandato & iuſſu Regis ducit, quod muneris à Rege magiſtratibus, aut prouinciarum Rectoribus delegatur. Rex, vbi matrimonium contraxerit, è primarijs mulieribus, aut virginibus, totius regni, triginta primarias, pro*

*con-*

*concubinis deligit, easq́ secum, in Palatio, quamdiu viuit, retinet: Post mortem eius sepulturamq́, & exequias celebratas, hæres, aut successor Regni, elegantissimis, triginta illas, vestibus, multisq́ ornamentis excolit, atq́ in cœnationem quandam introduci iubet, facie, vt à nemine agnoscantur, tecta. Tùm accedunt eò, viri, toto è Regno, primæ nobilitatis, triginta, testamento defuncti Regis expreßè nominati; quisque, ordine, aut pro imaginum prærogatiua, aut vt vocatur, introgreditur; quam, facie coopertam, primam manu præhendit, vxorem eam ducit, & honestè quamdiu viuit, habet: eis verò è Regio palatio sumptus nuptiales, necessariaq́ omnia liberaliter suppeditantur. Veteres Chinarum Reges, cum filijs suis aut consanguineis vxores darent, vniuersis proceribus, primariæq́ totius Regni nobilitati festum atque regale epulum præbebant, addito mandato, vt filios filiasq́ omneis secum adducerent; hos parentes pro cuiusque conditione honestè splendideq́ vestiebant. Finito conuiuio singuli nobiles eò loci accedebant, vbi fœminæ virginesq́*

*conuenerant, ordine ætatis inter se seruato, & ex illis eam ducebat quisque, quæ animo maximè collubuisset: idem, Regis filij, equestriq́ dignitate viri, faciebant. Nostra tamē ætate, huiusmodi mos exoleuit, cùm nobiliū æquè, atq; procerum turba sibi proximiores, modò ne primo consanguinitatis gradu iunctas, vxores ducant, quāuis nō rarò, secundo sibi ordine consanguineas in matrimonio habeant, præsertim vbi ea de re prius inter vtrosque conuentum fuerit.*

## Quòd, toto regno, neque in vijs, neque ad templa, vlli ferantur mendici, & quem Rex modum, in alendis ijs, qui suis sibi operis, victum parare nequeunt, obseruet.

## CAP. X.

*INter multas admodum harum gentium cōstitutiones, aliaq́; quæ hucusque recensuimus, & posteà explicabimus, memorabilia, è quibus, quàm prudēter Chinæ ciuitatē suā moderentur, sat apparet, haud vltimū, mea sententia, locum obtinere videtur, tùm*

*Regis,*

Regis, tùm ſupremi ſenatus Regij interdictũ, quò omnes egeni, & in vijs, vicisq́ue, & ad inanium Deorũ fana, mendicare prohibentur. Nã grauiſsima quidem pœna mendicis, ſtipẽ hinc inde colligentibus, longè tamen atrocior ciuibus atque incolis, petenti eã largientibus, indicta eſt: qui protinus, vbi quid huiuſmodi acciderit, ad eum id coguntur deferre magiſtratum, qui, quòd peculiari ſuo, hac in re, munere fungatur, pauperũ prætor dicitur, vtì ſcilicet, qui edictum violarint, pœnas continuò dent. Prætor hic è præcipuis ciuium aut municipum ſuorum deligitur, & quamuis aliam poteſtatẽ nullam habeat, ſatis tamen ſuperq́ue vno hoc officij genere occupatur. Neque enim fieri poteſt, quin in tanta hominum per vrbes tot atque prouincias multitudine & colluuie, magnus ẽt mancorũ & debilium numerus inueniatur: cùm itaque ratio illi ineunda ſit, iſtiuſmodi hominib. vt conſulatur, lexq́ue integra conſeruetur, ſanè nunquã non multis implicatus eſt negotijs. Quicunque magiſtratũ hunc inierit, primo ſtatim die, per præconẽ pronunciat, omnes, qui liberos habeant,

*quacunque corporis parte debilitatos, siue à natura, siue à morbis, quocunque denique casu id ipsis mali inciderit, eorum nomina apud se vt edant, quò, quæ opus fuerint, ex officio suo, Regijq́ edicti formula, decernat. Inspiciuntur morbi & vitia quorumlibet diligenter, quæ si tanta esse non adpareat, vt infans propterea ad hoc aut illud opificij genus inhabilis videri poßit, parentibus præcipitur, vt intra præfinitum certum tempus, eum ad id artificium, ad quod discendum idoneus, vitio illo nihil impediente, à Prætore iudicatus fuerit, adhibeant, qua in cognitione, ne latum quidem vnguem à legis præscripto disceditur. Si ea vitiositate laboret infans, vt ad nullam artem addiscendam habilis existimetur, quandiu vixit, eum parens alere cogitur, si ob inopiam nequeat, aut nullus sit; ad id muneris maximè aptus propinquorum aliquis, eum laborem capeßit: si ne is quidem tanta cum re sit, reliquæ necessariorum cohorti pro suis cuiq́ facultatibus, tantum contribuendum est, quantum ad alendum miserum homuncionem sufficiat, idq́ ei dinumerandum, qui illius*

*illius curam susceperit: quòd si ne hi quidem adsint, aut egestate tanta pressi, vt sumptus illos facere nequeant, Rex suis misellum reditibus alit, recipitq; in regium ptochotrophium, cuiusmodi, eum ad vsum cunctis in vrbibus plura perquàm magnificè structa visuntur. In his senes etiam, & inopes, qui vitam ætatisq; florem in bellis contriuere, sustentantur, quibus, æquè atque cæteris, ingenti cura & diligentia, omnia ad degendam vitam necessaria subministrantur, potissima ad id Prætoris vigilantia. Is cuilibet Ptochotrophio certos designat ministros, cōstituitq; præfectum, primariæ, & ipsum, inter ciues, notæ: absque cuius permissu, egenorum nulli à limine Ptochotrophij discedere licet, quamuis id quidem ipsi haud ægrè ferant, cùm cibo, potu, vestimentis abundè sint instructi, potestatem adhæc gallinas & porcos nutriendi, aliaq; sibi grata, vtilia, atque opportuna consectandi habeant. In præfecti huius acta atque procurationem inquiritur sæpius à Prætore pauperum, & ab Inspectore, qui à senatu Regio, tantùm ea de caussa, ex Aula mitti solet, vt prouinciæ cu-*

*iuſsiam, aut omnia, aut aliquot Ptochotrophia adeat, atque inuiſat. Si malè geſti muneris præfectus conuincitur, ab officio remouetur, irrogata graui pœna. Per igitur vnusquiſque ſollicitus & diligens eſt, cùm acriter atque accuratè, neq; ſine periculo ſuo, rationes à ſe exactum iri ſciat. Cæci, pauperibus, quos Rex aut ꝓpinqui alunt, haud annumerantur, ſed labore victum quæritant, & in molendis fruges & oryzam molunt, fabris folles eleuant, aliiſue, ad quæ perficienda oculis vſus non eſt, negotiis occupantur. Si fœmina cæca, ætate tamen ſtata, ſit, venale corpus proſtituit, vnde tot in lupanaribus cæcæ degunt, vt peculiari capite oſtendetur. Habent anum quandam, à qua comuntur, & pigmentis illinuntur, talem nempe quæ iunior adhuc, & ipſa in proſtibulo vixerat, ob ſenium poſthac inutilis. Hac itaq; lege efficitur, vt nulli inopes, nulli famelici, nulli mendici, in vniuerſo regno vſq̃ locorũ oberrẽt, quãuis potẽtiſsimo, ampliſsimo, & populoſiſsimo, vtì Auguſtinianæ & Frãciſcanæ familiæ ſodales, aliiq; eorũ comites, cùm in China eſſent, ſuis ipſimet oculis viderunt.*

*HISTO-*

# HISTORIAE DE AMPLISSIMO REGNO CHINARVM, QVA multa admiratione & memoria digna, de ritibus eorum in regendis moribus, & administranda Republica, describuntur,

## LIBER III.

## De Regibus Chinarum, & eorum nominibus.

### CAPVT I.

*VT satisfaciam promißs, quæ capite quinto libri primi feci; distinctè hoc loco agã, de Regibus Chinarum, eorum nominibus, & succeßione, à Vitei vsque, primo gentis Principe: lectoreq́ʒ, ad id, quod dixi, caput, remitto, in quo ostenditur, quot in vniuersum Chinarũ Reges fuerint, quot à prima regni origine, ad nostra vsqʒ tẽpora*

*ſint elapſi, quis in ſucceßione ordo obſeruetur. Primus Rex, Viteis fuit, vt ex hiſtoria, quam de ipſo habent, intelligitur, quæ multam ſpeciatim, de rebus ab eo geſtis, mentionem facit. Hunc ſtatura, nouem menſuras ſiue vlnas Chinenſes habuiſſe produnt, quarum vna duas Hiſpanicæ Varæ ſeu cubiti communis tertias æquat. Vnde conſtat, altitudinem eius fuiſſe, ſex cubitorum; humerorum verò latitudo, ſpithamas, vt ferũt, ſeptem habuit. Cæterùm, vt corporis, ita & rerum geſtarum magnitudine inſignem fuiſſe perhibent, habuiſſeq́ſecum quendam militiæ ducem, virum prudentia & ſagacitate nemini ſecundum, cui nomen erat Linchieoni, ea imperterriti animi fortitudine, vt virtute ſua, non ſolùm Regnum Vitei pareret, ſed cunctis etiam eum formidabilem redderet. Vitei veſtimentorum, colorum, nauium, velorum, & ſuper omnia, architecturæ ſeu ædificandi ſcientiæ inuenta, adſcribunt, eumq́ aiunt multa conſtruxiſſe magnifica ædificia, quorum memoria, quòd eius nomen adhuc retineant, hodieq́ duret. Molendina præterea ſerici excogitaſſe (quibus*

*bus tota paßim regione vti solent ) primùm etiam auro, argento, & auratis, argentatis, sericisq́ vestibus ad cultum corporis esse vsum, populum in vrbes, oppida, pagos discreuisse, opificia instituisse, disertè præcepto, ne quis aliam, quàm parens eius exercuisset, absque suo, aut cæterorũ magistratuum assensu ( qui quidem absque graui caussa præbendus haud esset ) factitaret artem: suum insuper cuique artificio peculiarem vicum adsignasse, qui mos hac in gente hodieq́ manet, vti, qui nosse velit, quodnam opificum genus vicum aliquem, vel amplißimum inhabitet, quem ad caput vici habitantem opificem viderit, cæteros eiusdem viæ incolas omneis eandem tractare artem, neque vllos, alterius artificij peritos, hisce immixtos esse nôrit: Inter alia hanc quoque laude dignam legem tulisse, vt vxores, aut eandem cum maritis artem tractarent, aut fuso & acu tempus transigerent, eius seruãdæ adeò tenax, vt ne suas quidem coniuges ea soluerent. Addunt, doctum eum, & Astronomiæ peritum fuisse. Item, si quandam herbam, quam in horto habebat, præterijsset, certis*

*quibusdam, ex ea, notis intelligere potuisse, quisnam purpuratorum malè in se esset animatus. Alia permulta de eo narrantur, quæ, ne prolixè recensendis impiorum huiusmodi somnijs atque ineptijs lectori fastidiū pariam, prætereo, atque sat esse existimo, si hæc in genere tātùm referam, cætera legentium iudicio permittam. Viteis Rex è quaternis vxoribus viginti quinque filios sustulit, annisq́ centum imperauit. Ex Viteis stirpe, ad eum vsque, qui admirandum murum illū, cuius nono capite primi libri mentionem feci, construxit, centum & sedecim reges, ex annalium supputatione duob. millibus ducentis quinquaginta septem annis, Chinarū regno præfuere, quorum nomina, studio breuitatis, quamuis, ex ipsorum, vt dixi, monumentis collecta, omittam, eosq́ tantùm percensebo, quorum mentionem, ad ostēdendam Chinensiū Regum, ad hodiernum vsq́, successionē, necessariam existimauero. Vltimus è familia clarissimi huius Regis TZinZomus dicebatur. Is, à rege Scytharū diu infestatus, & multiplici clade adfectus multis locis murum, quē suprà descripsi, cōstruxit,*

*tertia populariũ parte ad opus coacta, quorũ ꝑmulti, tùm longinquitate itineris, tùm diuersitate insueti aëris, interiére. Quamobrẽ TZinZomus, totius Regni odiũ incurrẽs, excitato tumultu, à conspirantib. Chinis, vnà cum AguZZio filio, successore designato, cùm quadraginta regnasset annis, interfectus est. Post vtriusq; mortem, Regẽ Chinæ crearunt, quendã, Anchiosaum nomine, hominẽ sapientẽ & magnanimũ, qui duodecim annis imperitauit: successorẽ habuit filiũ, Futein, is septem annis Chinas rexit, atq; admodum adolescens mortuus, Regnũ vxori, (q̃ eadẽ, qua maritus, regia gente orta erat) reliquit, summa cũ prudentiæ laude ab ipsa administratũ, sed absq; hæredibus vita functã, alia coniuge natus, quidã Anchiosai filius excepit, viginti tribus annis, sceptro potitus: quẽ sequuti; filius Cunteis, annis sedecim, mensib. octo; nepos ex filio Huteis, annis quinquaginta quatuor; pronepos Chianteis, tredecim; abnepos Ochianteus, viginti quoq; annis, mensib. tribus; atnepos Coanteus annis sedecim, mensibus binis; trinepos TZenZeus, sex & viginti annis, quatuor mensibus; summam Reipublicæ tenuerunt.*

*TZen-*

*TZentZei obitu principium Chinarum ad Auteum filium; huius morte, ad Pintateum est deuolutum, qui, quinto imperij anno moriens, id in TZinZamum fratrẽ transtulit; sed & hunc, tribus pòst annis & semestri in fata concedentem, alius fratrum, adolescens, Huihannon dictus, excepit, sexennij Rex; filium habuit Cubum, qui triginta duobus annis vixit; Penteus Cubumo genitus, octodecim; Vnteus tredecim; Oteus septendecim annis, quinque mensibus; Lanteus, octo tantùm mensibus; Anteus nouendecim annis; monarchiam tenuére. Anteo, liberorum vetustißimus Tanteus; huic pòst tres menses animam efflanti, Chiteus frater, anno vno, huic, tertius fratrum, Quanteus, vno & viginti annis; successére. Quãteo prognatus Linteis vicenos binos, hunc secutus Lanteus, eius nominis secundus, vnum & triginta annos, summæ rei præfuére. Lanteus, cùm (vt Historiæ testantur) mẽtis impos videretur, populis exosus erat. Quidam itaq; è consanguineis, Regis è fratre nepos, Laupis nomine, rebellionem contra eum captauit. Conspirauére cum Laupi,*

*duo,*

*duo, in Aula, fratres, viri fortes, dignitate equestri (quorū vni Quanteo, alteri Trunteo nomen erat) eumq́ʒ ad regium dominatum euehere connitebantur. Patruus Rex horum quidem fiebat certior, sed ob ipsius oscitantiam & stoliditatem, dissidia & seditiones toto regno grassabantur; quòd vno tempore, à quatuor Tyrannis diripiebatur (Cincoanus, Sosocus, Guansianus & Guanserus vocabantur) hos oppugnabat Laupis, & cum patruo sentire dicebat. Sed breui post pacem cum Cincoano inijt, vnamq́ʒ filiarum eius vxorem duxit: cæteros tres, auxilio soceri, bello nihilominus persequutus est. Inde, alio tyrannidis genere exorto, in tres factiones regnum est discissum: Vna factio Laupin Regem attollebat: patruo iam mortuo, altera Sosocum, tertia Cincoanum, Laupi socerum, quæ dissensio longo tempore populum exercuit, donec tandem Cuiteus Laupi filius, patri succederet; sed & hunc tyrannus quidam, Chiambuteus, tumultu excitato, interemit, & potentia sua Regnum totis iam vnum & quadraginta annis, dissidijs laceratum, ad pristinam concordiam*

*redu-*

*reduxit, impansq́; solus annis viginti quinque, successorem habuit filium Fonteum, qui septendecim principatus expleuit annos. Eum, ordine, per centum septuaginta sex annos, quindecim exceperũt Reges; quorum vltimum, Soleum, Tyrannus quidam Coteus regia eiecit. Quinque exinde à Coteo prognati, sexaginta duobus annis, Chinarum principes fuerunt, Postremò, Otane à Diane quodam occiso, Dian & quatuor posteri ex eius familia Reges per annos sex & qnquaginta dominatu sunt positi, quartus à Timo quodam in exilium pulsus est. Timus quinque sui sanguinis, vno & triginta annis, Reges numerat. Contra quintum tumultuatus est TZuis, quem tres suæ stirpis secuti Reges, septem & triginta annos exegerunt; postremus à Tonone pulsus est; cuius posteri præclarè Rempublicam administrauére, ideoq́; diu sunt dominati. Nam viginti tres ex eo genere Principes, continua successione, ducentis nonaginta quatuor annis Chinam possederunt Vltimus eorum, TZomon vocatus, quandam religioni di-*

*ca-*

catam fœminam, forma præſtantem, nomine Bauſam, è ſolitario ipſorum ritus conuenticulo abductam (ea prius, à Regis patre in matrimonio habita fuerat) coniugali lecto eſt dignatus, ſed mulier, cùm clanculum eum interficiendum curaſſet, annis vno & quadraginta, occupatum regnum gubernauit: Vitæ erat (vt hiſtoria docet) perquàm impudicæ, cunctisq́ optimatibus corporis ſui copiam faciebat, neque his flagitijs exſatiata, ad explendam libidinem, obſcuriſſimæ ſortis ignobili cuidam, vt marito, nupſit: ſuper hæc, prioris mariti filios, quoſcunque adipiſci poterat, è medio tollebat, vt nepotum ſuorum aliquem ad regnum eueheret. Hæc cùm ſentiret populus, pertæſus præterea, ſceleratè viuentem reginam, quendam prioris mariti ſpurium, nomine TautZonem, euocatum, vno conſenſu Regem creauit. Is nouercam, atroci, quam meruerat, pœna adfecit. A TautZone intra centum viginti annos,

ſeptem

*ſeptem deſcenderunt reges, quorum vltimus, Couchiamus, Diano cuidam, vi coactus, poteſtate ceſſit. E Diani genere bini duodeuiginti tantùm annis Chinis præcepére. Alterum enim Outon quidam potentatu deiecit: Outonis poſteri tres, quindecim annis imperarunt; tertius ab Ouzimo dignitate exutus eſt; cui, & binis, ex eius genere, sequẽtibus Regibus per annos nouem, menſes tres, Chinarum ciuitas paruìt. Tozo, inde, cum filio quatuor eam annis occupauit, qui cum Anchio quodam prælio dimicans, ſuperatus fuit; neque tamen Anchius, cum duobus, poſteà, ſuæ proſapiæ Regibus, vltra decem annos, parta dominatione eſt lætatus. Nam contra nepotem eius coortus quidàm è poſteritate, primi Chinarum Regis Viteis, Zaizon dictus, competitori mortem intulit. A Zaizone ſeptendecim Reges prognati, pacificè publicum ſtatum moderati ſunt. Cum Tepi horum poſtremo, ingentia magnus Tartarorum Imperator bella geſſit, maximo cũ exercitu Chinam inuaſit, atque ſubegit vniuerſam, quæ totis inde nonaginta tribus annis à nouem Scytharum regibus*

*vi*

*vi retenta, Tyrannica diraq́; seruitute pressa fuit, Cùm tandem nonus è Tartaris, Chinarum dominus TZinZonius dictus, priores omneis crudelitate superaret, coiuére clanculum Chinæ, & Regem crearunt, Hombim quendam, virum illustrem, veterumq́; Regum genere oriundum: Is, collectis grandibus copijs, viriliter Tartaros adortus, vniuerso eos regno eiecit, amissis tamen multis vtrinque hominum millibus, cùm Tartari intoleranda peruicacia, tyrannicum istud imperiũ tueri & stabilire conarentur. Duodecim ex Hombis progenie Reges deducuntur, è quibus, vndecim ducentis annis imperarunt. Duodecimus hodie Rex est, Bonogius nomine, fratris natu maioris morte (is enim equo excussus perÿt) regnum adeptus. Annos natus esse dicitur viginti duos; cũq́; notitia eius nulla dum habeatur, nihil admodum certi de ipso adferri potest, nisi quòd rumor est, eum splendidissimè vestiri, à subiectis diligi, vxorem habere, filium, & superstitem matrem. Hombis Regis posteri, multum terrarum eripuere Tartaris, ab eo tempore, quo è China eos exturbarunt, neq;*

*aliter ab ipſis, quàm muro, de quo diximus, diſterminantur. Faxit pro ſua clementia Deus Opt. Max. vt populi hi ſacroſanctum ipſius cultum amplectantur, &, quod Chinarum quodam oraculo contineri dicitur, eos, ſcilicet, à natione quadam procul ab illis diſsita, grandibus oculis, prolixis barbis, deuictum atq; in ditionem redactum iri (quibus vtique notis, Chriſtianos deſignari clarum eſt) veraci exitu comprobetur. Populareis tantis Regem ſuum honoribus colunt, vt in omnibus prouinciarum primarijs vrbibus, in quibus non ipſemet Rex, ſed proreges, & magiſtratus degunt, Regis effigies depicta, in tabula inaurata, & pretioſo dependente aurei panni periſtromate velata, conſpiciatur: eam ſingulis diebus manè cùm literati è nobilitate (qui Loitij vocantur) tùm cætera officia omnia, vti fas eſt, venerantur, perinde ac ſi Rex coràm adeſſet: ſingulis præterea diebus numinum cultui ſollennibus ſeu feſtis (qui ſingulorum menſium interlunio celebrantur) tabulæ hæ retectæ, publico omnium conſpectui exponuntur: Accurrunt oppidani, eum honorem ima-*

*imagini Principis habituri, quem ipsi, si adesset, Principi, haberent, vt antè diximus. Rex, dominum orbis, & filium cœli, se denominat.*

## De Palatio & Aula Regis, & quòd nullus toto regno, præter vnum Regem à Chinis dominus agnoscatur.

### CAP. II.

*CHinarum reges in hunc vsque diem, plerunq; aut Taibini aut Suntiæ, Regiam suam habuére. Vrbes hæ in Paghia & Tolanchia prouincijs sitæ sunt, &, vt sæpius indicaui, Scythis proximæ, à queîs hostiliter illi frequenter dissensere, vti bello fortè exorto, tanq̃ in locis opportunioribus, q̃ è re essent, cõmodius omnia, & facilius administrarent, aut fortassè, ꝙ horũ tractuũ aëris, regionisq́; tẽperies, salubritate cæteros anteiret, & frugũ ẽt, atq; reliquæ annonæ bonitate superaret, vt ex vocabulo, Suntia, rectè colligitur: nam Suntia, ipsorũ lingua, vrbs cœlestis, est. Hæc tantæ est magnitudinis, vt ab vna eius porta, directò, ad alterã vsq;,*

*ſpatio integri Diei, eques expeditus, pleno paſſu deueniat, præter ſuburbia, quæ & ipſa ſunt ampliſsima. Alia permulta Chinæ recenſent, de huius vrbis amplitudine & opibus, tanto narrantium conſenſu, vt eorum expoſitiones nihil à vero alienum habere videantur. Non ciuibus tantùm, ſed etiam aulicis vſque adeò frequens eſt, vt, ſi neceſsitas cogat, ducenta armatorum millia in cãpum producere poſſe, dicatur, mediam partem equites. In vrbis introitu, ad ortum, ampliſsimum ſuperbiſsimumq́ exſurgit palatium, in quo maiorem anni partem degit Rex: Sed præter hoc, alia duo palatia viſuntur, vnum in vmbilico, alterum in alia vrbis regione extructum, quorum prius, tàm grande, tàm amplum, tàm & pulchritudine, & raritate, admirandis rebus eſt refertum, vt vel à properante, minus quatriduò prælustrari nequeat. Septem cingitur ingentibus muris, quorum ſinguli, tanto inuicem interuallo diſtant, vt vacua inter vtroſque area militum decem millibus, (quæ cohors prætoria regis eſt) commodam ſtationẽ præbeat. Cœnationes habet ſexaginta nouem ope-*

*opere, magnificentia, arte admirabiles (in quibus multæ ſpectantur mulieres, quæ nobilium puerorum & purpuratorum loco Regi miniſtrant) alias præterea quatuor, ſplendore & ſtructura incomparabili, audiendis Regum & Principum exterorum legationibus deſtinatas, aut Chinarum proceribus, ſi Rex fortè ordinum Regni conuentum agat, quod tamē perrarò fieri ſolet; vix vnquam enim extra palatium conſpicitur, imò ne à domeſticis quidem, niſi interdum per vitreum aliquod ſpeculare. Prima quatuor cœnationum, è metallo inſignibus ſculpturis elaborato, exſtructa; ſecunda, lacunaribus cœlatis, tornoq́ factis, pauimento argenteis laminis ſtrato, ingentis precij, viſenda; tertia è puro puto auro, eximij operis encauſtici, exædificata eſt: quarta magnificentia ineſtimabili cæteras omnes ſuperat: euidens potentiæ opulentiæq́ magni huius Monarchæ argumentum: idéoque theſaurus Regis appellatur. In ea precioſiſsima regalis ſella eburnea cernitur, aliaq́ complura ornamenta præſtantiſsima. Tota cœnatio è pyropis conſtructa eſt, alijsq́ gemmis adeò*

*nobilibus, vt obſcuriſsima etiam nocte vniuerſa colluceat atq; reſplendeat, perinde ac ſi accenſis facibus illuſtraretur. Muri itidē è varij generis magnarumq; virium precioſiſsimis lapidibus, inſigni artificio ſtructi atque elaborati ſunt: vt rem omnem in pauca conferam, tanta eſt huius ædificii dignitas, vt ſuperbius aut magnificentius vniuerſa China nullum ſuſpiciat, cùm, quicquid toto regno ſplendidum, quicquid ornatum reperiri poteſt, eò collatum atque congeſtum eſſe videatur. Dixi aūt, cœnationes has, audiendis legationibus eſſe deſtinatas: Aut in prima igitur audiuntur, aut in ſecunda, aut in magnificentioribus, pro regum vel populorum legatos mittentium conditione, ita, vt tenuioris alicuius Principis oratorib. prima, mediocris, ſecunda, aliisq; deinceps aliæ, excipiendis tribuantur: In hoc palatio Rex, omnibus, quæcunq; vlla cuiusquā ſagacitate his in terris victui humano, cultuiq; ſeruientia, excogitari poſſunt, tàm ad voluptatē, q̄ ad neceſsitatē, vnà cum Regina cōiuge inſtructiſsimus, commoratur, rariſsimeq; aut nunq̄ potius eo egreditur, quod fieri aiunt*

*anti-*

*antiqua quadam, atque à maioribus per manus quaſi tradita conſuetudine, quæ non minus religiosè, atque legitima in regno ſucceſsio, obſeruetur, non ſolùm, vt autoritas Regibus dignitásque ſua conſtet, ſed etiam quia metuunt, ne proditione aliqua, aut conſpiratione in vitæ veniant diſcrimen, vti ſæpius factũ eſt, & hæc quibuſdam regibus cauſſa fuit, cur toto imperii tempore in publico nunquam conſpicerentur, præterquam eo die, quo, ſuſcepto diademate, inaugurati ſunt, & eo, quo ſollenne à gentibus ſuæ poteſtati ſubiectis, iuſiurandũ exegerunt. Quãuis aũt ita, vt dixi, incluſi deliteſcant, perpetuò tamen decẽ millia prætorianorum pro ſalute Regis excubant, regium corpus atq; palatium, noctu & interdiu cuſtodiunt, præter ingentẽ numerum eorũ, qui cauædia, ſcalas, porticus, aliaq; aulæ loca paſsim occupãt. Sunt præterea illic multa pomifera viridaria, ſepta, nemoraq; venationi multiplicium omnis generis ferarum dicata, ingentia viuaria, piſcibus pleniſsima. Quid multis? ſi quid vſquam delectationis, aut amœniſsimæ huiuſmodi poſſeſsiones, aut copioſiſsimæ piſcinæ adferunt,*

*id verò hîc omnibus numeris absolutißimũ reperiri, affirmare ausim. Vniuerso in regno, nullus vspiam locorum, qui territorium aliquod, aut ditionem poßideat, dominus agnoscitur: patriam tantùm hæreditatem quisque adit, & mobilium rerum dominium habet, & si quid præterea à rege interdum præmij & remunerationis ergò, benè de Republica meriti, vt prouinciarum Rectores, aut alij, alia de causa dono accipiunt, eo fruuntur: omne tamen id à morte donatarij ad Principem redit (vt Turcis etiam mos est) qui, si libeat, reddit defuncti liberis, clementia potius, quàm iure. Sed hæc eò magis fieri videntur, vt confusiones omnes, quantum fieri potest, tollantur, & peruersis multorum moribus, & consilijs, quæ à potentioribus fortè ditioribusq́ue regulis iniri atque agitari possent, obuiam eatur, quàm auaritia, aut alia ratione. Qui munera publica gerunt, siue Proreges, siue præsides, siue militum duces, siue cuiuscunque conditionis sint, ea à Rege, stipendia accipiunt, quibus, officio functi, facilius ditescant, quàm depauperentur. Rex, præter seipsum,*

*ipsum, nullum alium, vniuerso in Regno, dominum tolerat, ne quis scilicet aduersus sese tumultus aut seditio excitetur, quemadmodum plerisque superiorum Regum accidisse, priori capite meminimus.*

## De numero beneficiariorũ, clientiũ, aut tributariorum, Regiæq; ditioni subiectorum, in singulis quindecim prouincijs.

### CAP. III.

*CVm hucusq; tàm de harum terrarum amplitudine, quàm de innumerabili incolarum multitudine, complura tradiderimus, iam eò credibiliora erunt, quæ de tributariorum singulis in prouincijs numero, adferemus, è codicibus rationarijs cõmentarijsq; Regijs, è quorum formula, quæstores ærarij, tributa exigunt, excerpta, non adnumeratis etiam immunibus, quorum ingens multitudo, vt sunt, Loitij, qui vocantur, omnes: ministeria magistratuum, sanè quàmplurima, terrestris denique & naualis exercitus vniuersus.*

*In Paghia prouincia, tributariorum Regis numerantur, vicies septies centena quatuor millia hominum.*

*In Cantone, tricies sexies centena millia.*

*In Fochiene, vicies quater centena, septẽ millia.*

*In Olamia, vicies bis centena, quadraginta quatuor millia.*

*In Sinsaia: tricies ter centena, octoginta millia.*

*In Sisuamia, vicies centena, quinquaginta millia.*

*In Tolanchia, sede regis, & prouinciarum maxima, sexagies centena nonaginta millia.*

*In Cansaia, tricies quinquies centena, quinque millia.*

*In Ochiamia, tricies octies centena millia.*

*In Auchicone, vicies octies cẽtena millia.*

*In Honane, duodecies centena millia.*

*In Sciantone, vndeuigesies centena, quadraginta quatuor millia.*

*In Chichiene, vicies centena, triginta quatuor millia.*

*In Chiecheama, vicies bis centena, quadraginta quatuor millia.*

*In Susuania, Prouinciarum minima, decies sexies centena, septuaginta duo millia.*

*Ex hac enumeratione ingentem vtique tributariorum esse numerum, satis apparet, & quòd multis historiæ nostræ locis, de regionum harum magnitudine prædicatur, verum efficitur. Vt igitur China, omnium totius orbis, quorum memoria exstat, regnorum, amplissimum est, ita faxit clementissimus Deus, vti sacrosancto ipsius cultus lumine illustrata, è Cacodæmonis tyrannide eripiatur.* 42554800.

## De vectigalibus, quæ ad dignitatis aulæque autoritatem tuendam Regi penduntur.

### CAP. IV.

*QVantumuis regnum hoc adeò amplũ, adeò opulentum sit: onera tamen tributorum, vectigaliumq́ leuiora, & tolerabiliora longè sunt, quàm vsquã alibi locorũ, siue apud Christianos, siue Turcos, siue cuiuscunq; nominis gentem, nobis cognitam.*

*Ma-*

*Maximum, quod pendunt, tributum est, quòd à singulis patribusfamiliâs duo Maësi (duo Hispanici nummi Reales, vel nostrates quatuor bacij) singulis annis exiguntur: qua pensitatione, quicquid opum superest, siue hæreditate, siue aliàs adquisitarum, immune totum possident & quocunque lubet modo administrãt, posterisq́; nemine quidquam interpellante, relinquunt. At, licet onera vsque adeò sint tenuia; Loitij, quorũ ingens numerus, Magistratus, eorum ministri, belli duces, omnesq́; militum copiæ immunes sint: nihilominus tamen is Regni status, ea frequentia est, vt, quod tributorum in sumptus Regiæ aulæ, siue Palatinos, insumitur, qùod vectigaliorum è mercimonijs, portorijs, alijsq́; censibus in fiscum redigitur, eã efficiat summã, quæ è Regij scrinij rationariis exscripta hîc adnotabitur. Supra militum stipendia, impensam in præsidia vrbium, limitumq́;, in structuram item atque conseruationem mœnium, factam, impendia etiam, terra mariq́; instructissimam in classem & exercitum effusa, supra denique, magistratuum, cuiuscunque gene-*

*generis, & publicorum ministeriorum salaria, quæ omnia de enumeratione nostra nihil detrahunt, Auri obryzi, septendecim aut eò plus, ad viginti vsque duo siliquarum pondò, annuo reditu in ærarium rediguntur, vt cum vulgo loquar, Taës (quorum vnus decem nummos reales, siue viginti bacios nostrates, aut viginti quatuor Marauedinos Castellanos efficit) bis & quadragies centena, quinquaginta sex millia; argenti excocti, tricies semel centena, quinquaginta millia, ducenti nouendecim, addita pensitatione exacta è margaritis, quæ magno quidem numero, sed rotunditate parum conspicua, apud Chinas reperiũtur, & eorum, quos dixi, numorum, efficiunt vicies sexies centena triginta millia: vectigal verò gemmarum, quæ pluribus locis toto regno effodiuntur, quater decies centena, septuaginta millia: Moschi & succini orientalis, seu ambræ, decies centena, triginta quinque millia; Vasorum, quæ Porcellana vocantur, nonaginta millia: multos insuper patrimonii sui fundos, popularibus Rex elocat, tenui frugum imposita pensione. Quorum*

*rum redituum numerus est, qui sequitur: Oryzæ cõmunis, qua tùm Chinæ, tùm finitimarum gentium pleræq; viuunt, Regi penduntur, Hanegarum (vt vocant) centena sexaginta millia, & triginta duæ: hordei, ducenties, nonagies ter centena, nonaginta vnum millia, octingentæ nonaginta duæ: tritici (quod ab Hispanico nihil differt) trecenties tricies, semel centena viginti millia, ducenta: salis (quod è salinis regijs insigniter vberibus, prouenit) ducenties quinquagies ter centena, quadraginta millia, quadringenta: frumenti Indici (quod Maitzium dicitur) ducenties bis centena, quinquaginta millia: milij, ducenties quadragies centena millia: Panici, centies quadragies bis centena millia, aliorum cuiuscunq; generis leguminum & frugum, quadringenties bis centena millia. Annuatim præterea censibus regijs adscribuntur, telarum serici, ducenta, nonaginta quinque millia, quarum singulæ in longitudine Varas habent quatuordecim, siue vlnas circiter nouem: serici inelaborati pondò quinquies centena quadragena millia: gossypij conglobati, trecenta millia:*

*millia:*

*millia: tapetum varijs coloribus intextorũ, octies centena millia, quadringenta: telarum è ſerico inelaborato, quæ Chimante illic vocantur (quarum quælibet eſt pondò ducentarum vnciarum, ſiue dimidiatæ arrobæ) trecenta millia ſexcenta octoginta: ſtragulorum xylinorum (vlnis circiter nouem in ſingula computatis) ſexcenta ſexaginta octo millia, octingenta ſexaginta: reliquæ telæ goſſypinæ, quæ Chimante dicitur, trecenta quatuor millia, ſexcenta quadraginta ſex. Hi omnes reditus in palatij aulæq; regiæ apparatus ſumptúsque conuertuntur, qui magnificentiſſimi atque maximi ſunt: adeò vt Chinæ, qui in Philippinas inſulas veniunt, aliud penè nihil, quàm illos, in ore habeant: & ſanè dictis ita inter ſe conſentiunt, vt fides illis deneganda minimè videatur.*

Arroba põdus eſt librarũ viginti quinque, attributis cuilibet libræ, vncijs ſedecim.

## De copijs, tàm peditũ, quàm equitum in ſingulis prouincijs.

### CAPVT V.

*QVeadmodũ magnꝰ hic Monarcha, ingẽti cũ ſeueritate & cura in id incũbit, vt ſum-*

*summa cum æquitatis & iustitiæ obseruantia, per vniuersum regnum singulis ius reddatur: ita, & multò etiam magis rei bellicæ pquàm studiosus est, si fortè à vicinis Principibus, aut vndecunque aliàs, subita vis ingruat, à Tartaris præsertim, antiquis hostibus, quibus tamen nostro tempore adeò formidabilis est, vt amicitiam ipsius magni faciant, certaq; etiam conditione eum pro domino agnoscant, licet nullum longo iam tempore, quod in ore hominum atque in sermone sit, bellũ cum illis gesserit: sed, nihilominus in omnem euentum & occasionem paratus semper & armatus est, perinde, ac si complures potentißimosq; hostes metuere aut oppugnare cogeretur, vt expositio apparatuum, copiarumq; militarium posteà docebit. Singulis in prouinciis præsidem, & concilium militare, Ducem exercitus, aliosq; minores bello præfectos Rex habet, penes quos populum ad arma conuocandi, & cogendarum terra mariq; copiarum, quacunque opus fuerit, potestas est. Cuiusque vrbis custodiæ, ductores certi, cum militum copiis, præpositi sunt: qui noctu & interdiu mili-*

militares vrbicasq́ excubias agunt, æquè, ac si hostes portis imminerent, magno ordinis, & disciplinæ militaris obseruandæ studio, qua herculè omnes alias terreni orbis nationes (in genere loquor, ex traditione Hispanorum militum, qui in his terris fuerunt, & ea, quæ dico, sæpè conspexére) insigni fortitudine roboreq́ antecedunt. Continuis, vt dixi, singularum vrbium portas vigilijs, obseruant, nemine, nisi magistratus de scripto mandarint, aut emisso aut intromisso. Cludunt aperiuntq́ eas iussu & præcepto ducum, qui huiusce rei caussâ singulis diebus tabulam gypso obductam, manu sua subscriptam ad ipsos mittunt: potissima illic ciuitatis virium pars, arma, tormenta, tela, ad manum parata sunt omnia. Singulis portis adiunctum est armamentarium, in quo ingens hominum multitudo fabricandis huiusmodi armamentis, continenter distinetur. Quotiescunque illas vesperi occludunt, crassam quandam chartam commissuris adglutinant, eam prorex, aut præses annulo quem digito gestat, obsignat, aut ipse, aut, cui id negotii commiserit, quis-

*piam, maximæ apud ipsum fidei: crastino haud aperiuntur, nisi explorato sigillo, certò prius constiterit, immutatum id esse, atque illæsum: si cui tempestiuius fortè iter inciderit, is eam ob rem, antecedenti vespere, in suburbio pernoctat, cùm ante exortum solem portæ minimè pateant. Arces aliáue munitionum genera nulla habent, sed aggeres tantùm ingentes, & muros, quos per noctem militari custodia seruant, vigilibus ad ternas quasque horas, inuicem mutatis, vt & apud nos fieri solet: ipsi porrò magistratus identidem vigilias circumeunt, eásque vti & aggeres, intus & extrà, magna militum turba comitante, diligenter perlustrant. Exercituum duces ex ea quisque, vt plurimum, regione oriundus est, cui custodiendæ est præfectus, quòd amor patriæ, vel ad vitam pro ea effundendam, incitaturus esse ipsum videatur. Nemini vllo cum telo, aut armorum quocunque genere esse licet, ne domi quidem, aut terra vel nauigio iter facienti, prætereã militibus, qui à rege stipendia accipiunt. Præter hæc prouinciarum singularum præsidia, ingens equitum & pedi-*

tum

*rum numerus, aut Taibini aut Suntiæ (in queîs legitima Principis sedes) finitimisq; in vrbibus, à rege alitur, vt quemcunq; ad casum, si opus sit, adciri præstoq; esse possint. Militum duo genera sunt, vnum (CVM Chinarum lingua appellatum) eorum, qui ex vrbe aut regione, quam tuentur, originem ducunt: illi iure hæreditario sibi inuicem in eo munere succedunt: sin hæres nullus sit, à rege alius sufficitur: Quisq; horum nomen suum, pinnæ muri, cui contra hostes patriæ defendendo est præpositus, inscribere cogitur. Alterum genus est, extraneorum (PON ab indigenis vocitatum) hi excubias, aliaq; solita bello munia obeunt, atq; annuatim aut menstruatim mutantur: militatum eunt, quoties id ab ipsis operæ exigitur: singulis mille, Chiliarchus, centum, Hecatontarchus seu Centurio, cum suo quisque vexillifero, præsunt, qui imperatori parent. E signis itaq; & ductoribus, quàm grãdis exercitus sit, collectu facile est. Cuiuis horũ maiorũ minorumq; ducum, suum ꝓpè mœnia domicilium, sua defendendi muri pars, nominatim est assignata, vbi ad finem*

*vsque belli ille permanet. Singulis mensibus semel, etiam pacis tempore, duces militem in campum educunt, ad tympanorum pulsum, ordines seruare, gradu militari decurrere, remissius incedere, hostem incursare, cedendo ludificari, varij generis arma, sclopeta, lanceas, parmas, bipēnes, clauas, enses quosdam, forma dimidiatæ lunæ incuruos, sicas, pugiones, tractare docent. Equites hastis vtuntur, ephippio dependentibus, interdum duobus simul gladijs pugnant, solerter admodum atque animosè; cùm impressionem in hostes faciunt, multos circum se habent ministros pedites benè armatos, qui quantùm possunt, diligenter suam stationem tueri conantur. Tàm equites quàm pedites, bellicarum artium perquàm periti, quamuis hostem alacriter inuadant, aut irruentem sustineant, varijs tamen insuper stratagematibus, machinisq́; igniuomis, cùm terrestribus, tùm naualibus in præliis, sclopis itē, breuibus & amplis, quos globulis denticulatis multoq́; puluere onerant, insigni sæpè clade hostes afficiunt. Equitum etiam, quidam sagittarij sunt, quidam, lāceis, &*

*duo-*

duobus simul ensibus decertant, quidam sclopettarij sunt. Alio fræni genere equos non regunt, quàm filo quodam ferreo, ori inserto, sed incommodè admodum. Quando equos sistere volunt, alterum retinaculum retrò attrahunt, voce adhortantur, anteriores pedes cædunt, atque adeò neque sellæ, neque equi magni sunt precii, neque gens rei equestris admodum est perita. Ingētem prætereà multarum nauium classem, suis cum ducibus & præfectis Rex habet. Tàm terrestribus quàm naualibus copiis opima à Rege stipendia præbentur, qui ante alios eximium bellicæ virtutis specimen ediderint, maximo in honore habiti, occasione data, magnificis præmiis afficiuntur. Captiui neque occiduntur, neq; aliud quidquam redēptionis nomine ab ipsis exigitur, quàm quod alicubi, ad fines Regni, procul à patria disßitos, militare coguntur, iisdem acceptis stipendiis, quæ cæteris militibus à rege numerantur. Vestibus etiam à cæteris Chinis nihil differunt, vno excepto, quo à reliquis internoscuntur, pileo rubro: eo vnà cum aliis, qui ob facinus aliquod tuendis finibus

*imponuntur, capita operiunt, atque in facinorosos sanè frequens hæc animaduersio est: vnde hæc sententiæ pronunciandæ formula: sontem ad rubrum pileum, aut galerum, condemnatum esse.*

## De militaribus equitum & peditum copiis, in singulis prouincijs Regni Chinarum.

### CAP. VI.

*CVm priori capite (in quo generatim de regno Chinarum sum loquutus) ostẽderim, quanta sollicitudine, vtroque tempore, belli & pacis, Chinæ ciuitatem suam tueantur, & quomodo rem militarem administrent: nunc iam speciatim singularum prouinciarum copiæ militares enumerandæ sunt: Vnde amplitudo regni, satis, opinor, intelligetur. Quælibet primaria vrbs, senatum habet militarem, cum præside, delectos è viris, in Castris atq; inter bellicos tumultus educatis, & quorum virtus militiæ cognita; his tuendæ prouinciæ cura incumbit: Ductores militum appellantur, sub se*

*se præfectos habent complureis, alijsq; omnibus, ad bellica munia ritè obeunda necessarijs, sunt perinstructi, & quocunque res postularit, sine mora abeunt. Quæstores Regij, vectigaliumq; præfecti in mandatis habēt, vt illis, quicquid postularint absq; tergiuersatione aut ꝓcrastinatione vlla, statim suppeditent. Numerus militū in singulis prouincijs, tū cùm P. Martinus Herrada, eiusq; comites, anno virginei partus M.D.LXXV. in China essent, quæ tùm temporis, pace vndiq; à finitimis parta, nullis exagitabatur bellis, hic fuit.*

*In Paghia prouincia, legitima sede Regis, erant; peditū, vicies semel centena, qnquaginta millia: equitum, quadraginta millia.*

*In Cantone; peditum, centum & viginti millia, equitum, quadraginta millia.*

*In Fochiene; peditum, quinquaginta octo millia nongenti: equitum, viginti duo millia, quadringenti.*

*In Olamia; peditū, sexaginta sex millia: equitum, viginti quinq; millia, quingenti.*

*In Sinsaia; peditū, octoginta millia: trecēti, eqtes ꝑpauci, aut nulli potius, qa regio est aspera & montosa.*

*In Ochiamia; peditum, centum & viginti millia, sexcenti; equites nulli, eandem, quam prius dixi, ob caussam.*

*In Sisuamia; peditum, octoginta sex millia; equitum, triginta quatuor millia, quingenti.*

*In Tolanchia, Tartaris finitima, quibus Chinæ nihil fidunt, vt diximus; peditum, vicies octies centena octo millia: equitum ducenta nonaginta millia. Hi omnium totius regni equitũ sunt bellicosissimi & præstantissimi, & in ipsis adeò castris atque militia nati & educati, superioribusq; temporibus, sæpè cum Tartaris conflixerunt, & manus conseruere.*

*In Cansaia; peditum, quinquaginta millia: equitum, viginti millia, ducenti, quinquaginta.*

*In Auchicone (in qua ii, quos modò nominaui, religiosis institutis dicati viri fuêre) peditum, octoginta sex millia, equitum, quadraginta octo millia.*

*In Honane; peditum, quadraginta quatuor millia: equitum, quatuordecim millia, quingenti.*

*In*

*In Sciantone; peditum, quinquaginta duo millia; equitum, octodecim millia, nongenti.*

*In Chichiene; peditum, quadraginta octo millia, ſexcenti: equitum, quindecim millia, trecenti.*

*In Chichieama; peditum, triginta quatuor millia: equitum, tredecim millia.*

*In Suſuania, prouinciarum minima; peditum, quadraginta millia: equitum, ſex millia.*

*Cuilibet prouinciæ ſuus hic, quem recitauimus, è vetere Regni formula, militum numerus præfinitus eſt: quod factu neutiquam eſt difficile, cùm regia ſtipendia certa ſint, atque ad diem numerentur: & quiſque militum in patria, penatibusq́ ſuis degat: bonis etiam rebusq́ ſuis omnibus, vt libuerit, vtatur, fruatur, etſi interdum ipſi eò abeundum ſit, quò dux, neceſſitasq́ ire iuſſerint. Summa itaque militum, in omnibus prouincijs, quarum ſingulæ ob magnitudinem, Regna meritò dicerentur, ex hoc calculo conficit: peditum; quinquagies octies centena, quadraginta ſex millia, quingentos:*

 *tos:*

*tos: equitum, nouies centena, quadraginta octo millia, trecentos, quinquaginta. Equi plerunque exigui, sed laborum tolerãtes sunt. Aiunt tamen interius, atque in mediterraneis regni, maiores, melioresque reperiri. Non dico hîc, quomodo benignißimo numinis auxilio, tanta gentis huius potentia imminui aut euerti posset, quod certè absque ingenti labore, atque singulari industria fieri nequeat: neque enim ad historiam nostram hoc. & ego ea de re, cum eo, cum quo debui, accuratè satis egi.*

## De lege seu statuto Chinarũ, quo, extra Regni sui fines bellum gerere, ex eo aliò se conferre, & exteros, absque cõsensu Regis in id admittere prohibentur.

### CAPVT VII.

*QVamuis è multis constitutionibus & consuetudinibus Chinarum, insignis eorum ingenij, iudicijque dexteritas & solertia, atque præclara regendi status publici ra-*

*ratio, satis animaduertatur, id tamen mea opinione, magis etiam ex eo confirmabitur, quod hoc capite referam: in quo sanè Græcis, Carthaginensibus, Romanis denique ipsis, tametsi recenti & vetusta literarum memoria tantoperè commendatis, longè anteferendi videntur. Nam ij, quos nominaui, populi, patriæ, suarumq́ ciuitatum cura seposita, alienis imperijs, dùm inhiarent, sua ipsi amiserunt. Chinæ verò aliorum periculo facti sapientes, experientia docente agnoscebant, si è patrio regno peregrinas ditioni suæ subiecturi gentes, discederent, nō ingenti solùm hominum multitudine, opibusq́ infinitis, sibi ad eam rem opus fore, sed etiam sine ingenti suo labore, summaq́ sollicitudine, quos potestati suæ subiecissent populos, in officio minimè retentum iri, perpetuò, insuper, occupata amittendi, cruciante metu: Præterea dum ipsi foris aliena appetendo, sumptus factos resarcire conarentur: interim domi Scythis, aut aliis finitimis Regibus, prædæ se futuros. In animum etiam inducebant; sese regnum possidere, quibusuis aliis totius orbis*

*regio-*

*regionibus præſtantius, non ob immenſas modò diuitias ( quòd auro, argento, margaritis, gẽmis inſigniter adfluat ) ſed cum primis etiam ob ſummam fertilitatem; inde effici, vt, cùm aliæ gentes multis in rebus ipſorum ope atque opibus indigeant, ſibi tamen earum auxilijs aut copijs, nullam ad rem ſit vſus, quod omnibus ad victum cultumq́ neceſſarijs, ipſimet, ſuprà, quàm dici poßit, abundent. Conuentu itaque indicto, & conuocatis omnibus, qui prouincijs pro Rege præſidebant, alijsq́ regni primatibus, deliberarunt, quo nam pacto huic malo cõmodißimè obuiam irent. Multis autem vltrò citroq́, magna cum ſagacitate & prudentia, agitatis conſilijs, auditisq́ omnium & ſingulorum ſententijs, repererunt è Republica maximè futurũ, vtì exterarum, quas occupaſſent, regionum imperium planè abdicarent, ſuosq́ extra fines bellum poſthac nullum gererent, è quo vtiq́ in certa lucri & dubia ſpe, certius ſæpè damnum proueniret. Quamobrem communi tùm conſenſu decreuerunt: orandum Regem, copias, quas in præſidijs hinc inde apud exteras*

*gen-*

gentes bello ſubactas alebat, domum omneis atque ad ſe reuocaret, ſi quidem ei, ſua, communium rerum, totiusq́ue populi ſalus, opes, ſecuritas, tranquillitas, cordi eſſent. Rex auditis ciuium ſuorum poſtulatis, cùm, re conſiderata, æqua ea, & prudentiæ plena iudicaret, adſenſus eſt, & continuò, graui cõſtituta pœna, beneficiarijs, cæterisq́ue ſubiectis imperio ſuo omnibus, quicunque in peregrinis nationibus belligerabant, edixit, vtì certum intra definitumq́ue tempus, omiſsis huiuſmodi bellis, in patriã redirent. Iis etiam, qui peregrinis gentibus bello captis, ſuo nomine cum poteſtate præerant, ea planè abdicata, indè eueſtigiò diſcederẽt, imperauit, exceptis ſolis ijs, qui ſpontè & voluntariò pro domino ipſum agnoſcere, & ſacramento teneri vellent, quod Lecchij, alijq́ue quidam populi factitarunt: poſteà legem tulit, in hunc vſque diem inuiolatam, neu quis vllum incœptaret bellum, neu quocunque alio è regni finibus abiret, niſi aut ab ipſo, aut à conſiliarijs abeundi veniam obtinuiſſet; imò, qui intra ipſius Chinarum principij limites, ex vna prouincia in alteram iter

face-

*facere, aut mercaturis faciendis rem quærere vellent, ij, vadibus datis, aut aliàs idoneè cauerent, intra certum tempus sese domum redituros, qui secus faxit, natali solo, communisq́ patriæ libertate & priuilegiis omnibus priuaretur: deniq́, ne quis, nisi aut ipsemet, aut magistratus, portubus, limitibusq́ regionum præpositi, disertè id permisissent, peregrinum quenquam in regnum admitteret, sanxit. Quamobrem cùm constitutiones hæ tàm arctè hactenus atque diligenter fuerint obseruatæ: nulla certior pleniorq́ harum terrarum peruestigatio institui potuit, vsque ad paucos abhinc annos. Et his quidem, quæ iam diximus, eò facilius fides adhiberi posse videtur, quoniam in historiarum apud ipsos monumentis, potissimùm in antiquis eorum itinerariis seu nauigationum veterum tabulis expreßè reperitur: Chinas nauigationib. suis claßibusq́ perlustrasse, ditioni suæ subiecisse, atq́ possedisse vniuersum, inde ab regni sui limitibus, terrarum tractum, ad extremos vsque Indorum terminos, vsq́ dum, eo, de quo diximus, gentis placito, omni in exteros domi-*

*natione*

natione vltrò abdicata, domum sunt reuersi. In Philippinis enim Insulis, quò Hispanorum colonia nuper est deducta, multa supersunt de Chinis indicia atque monumenta, & in tractu Coromandelensi, qua is vno latere, mare versus, Narsingæ Regni, propè Bengalam fines attingit, locus est, Castrum Chinarum appellatus. Id enim ipsos extruxisse opinio est. Simile eorum mnemosynon in Regno Calechutiensi exstare dicitur: multas etenim ibi arbores, & plantas nasci aiunt, quas à Chinis illuc delatas atque seminatas esse, cùm earum regionum dominatum tenerent, incolæ referunt. Neque permulta etiam desunt argumenta, quæ Chinas eadem fermè ætate, Malacæ, Sianæ, Chiapaæ, & finitimarum regionum, Iaponis quoque dominos fuisse attestentur, præsertim, cùm Iaponij, moribus ritibusq́;, cum Chinis penè conueniant, & quasdam etiam obseruent leges, quarũ Chinis vsus est. Sed tamen tàm arctè decretum hoc custodiri non solet, quin portuum stationibus præfecti, largitionibus & donis corrupti mercatoribus interdum

clan-

*clanculùm permittant, vti è regno abeant, atque apud exteros & in vicinis insulis negotientur. Quamobrem multæ quotannis naues, preciosissimis onustæ mercibus, in Philippinas insulas appellunt, & iam in Hispanias etiam aliasq; ad emporia, ingentis lucri faciendi spe, penetrant, cùm antehac per illos, nemini è regno discedere liceret, nisi qui prædijs prædibusq; cauisset, intra anni spacium sese reuersurum. Eodem modo, pariq; solertia, peregrinis etiam negotiandi caussâ eas terras ingredi permittitur, tametsi limenarchæ diligenter prius inquirunt, quibus è locis eò venerint, veniamq; hactenus eis dent, vt ne in vrbibus hinc inde obambulēt, ne secretiora ipsorum curiosè scrutentur. Exemplar permissionis huius gypsatæ tabulæ inscribunt, quam negotiatores de nauigij prora adpendunt, ne vbi stationi successerint, à militari custodia tormentis oppressi demergantur, sed liberè ingredientes, negocia exerceant, vectigali tamen, & portorio, quod Regi debetur, exsoluto. Quolibet in portu, aduentantibus nauibus, scriba à præfecto designatus, præstò est;*
is

*is diem horamq́ aduentus earum adnotat, vt & incolæ & exteri onuſtis denuò nauibus ad diſceſſum ſe expediant, eo, quo in portum venerunt, ordine, qui modus, arcta adeò obſeruatione cuſtoditur, vtì, licet interdum maiorum minorumq́ nauium, ad duo millia vno in portu ſint, omnes tamen, tanta cum celeritate, tantoq́ ſilentio expediantur, ac ſi vnica tantùm nauis adfuiſſet. Hoc præfectorum conſenſu, ijs, quas indicaui, rationibus, impetrato, freti Luſitani, ex India Cantonem negotiandi cauſſâ, aliaq́ Chinarũ Regni loca hactenus petiére, quod ex ipſis adeò Chinis cognitum eſt.*

## De ſenatu Regio, quemq́; is obſeruet morem, quo ſingulis menſibus, quicquid toto Regno acciderit, cognoſcat.

CAP. IIX.

*Rex in vrbe Taibino (in qua cum Aula degit) ſenatum habet duodecim virûm:*

*rûm: hi delecti sunt è toto regno, multisq; anteà diuersis muneribus publicis functi. Et hæc quidem summa in Chinarum terris dignitas, summus honos est, quo quis afficiatur. Nulli enim ibi Reguli, nulli Duces, nulli Marchiones, nulli Comites, nulli denique cuiusquam territorij domini sunt, præter solum Regem, filiumq; eius Principem. Sed hi consilij regij senatores, & prouinciarum Proreges seu Propræsides, loco regulorum, membra quasi regni sunt, neq; quamdiu officijs suis præfuerint, minori habentur in dignatione atque autoritate, quàm apud alias gentes, ijs, quos recensui, titulis insigneis. Viro ad regij senatoris dignitatem euehendo, non multiplex solùm rerum experientia, sed etiam, Iuris, legumq; Regni, Philosophiæ, de natura, & de moribus, Astrologiæ, eius præsertim, quæ futuris euentibus inuestigandis occupata, Iudiciaria nuncupatur, exacta cognitio necessaria est, vtì scilicet artis huius ope, futuros casus eò citius præuideat, & ad quæcunq; omnibus in prouincijs, euenta, quid è re videatur, in medium maturè cōsulat. Prouinciæ enim à Regij sena-*

*senatus autoritate omneis dependent. Duodecim viri isti, Curiam suam de more habent in atrio quodam Regij Palatij, magnificè ad id instructo. In eo tredecim sedilia sunt, sex aurea, totidem argentea, omnia opere, sumptuq́ue eximia: tertiumdecimum, & ipsum aureũ, sed cæteris preciosius, quòd fulgentibus gemmis vndiquaque interpositis elaboratum sit; in medio cæterorum consistit, sub vmbella, facta è tela magni precij, in qua regia insignia acu picta visuntur; ea sunt, angues quidam, ex aureis filis contexti. Sellæ huic senatus Præses insidet, nisi Rex ipse in Curiam venerit, qui si adsit (quod rarissimè tamen fit) tùm præses primam, in ordine, ad regis dextram, auream sedem occupat; in cæteris tàm aureis quàm argenteis, reliqui adsessores consident, temporis habita ratione, ita vt præsidi mortuo, qui prior cæteris inter consiliarios fuit adscitus, in præsidatu succedat, huius stationem is occupet, qui proximum anteà ab eo subsellium tenuerat; isti succedit tertius, & sic deinceps. Tùm verò eodem etiam modo, ad sinistram, argenteorum sedilium ordines*

*inuicem mutantur, ita, vt eorum, qui argenteis sellis insident, Senator veterrimus, à læua in dextram, transeat, relictoq́ argenteo, aureum extremum subsellium teneat, cæteri itidem mutua sese successione excipiunt. Quoties senatorum quis moritur, succedit ei, qui viuo proximè adsederat, & sedili defuncti, nihil præmonitis neq; Rege, neq; præside, insidet. Demum extremã in sedem vacuam is locatur, qui præsidis & adsessorum votis senator creatus fuerit; magnaq́ honestatis & integritatis cura, is deligitur, quem omnium suffragiis tantum ad honorem aptissimum, eoq́ dignissimum esse constiterit. Si designatus senator prouinciarum alicui cum imperio præest, ideoq́ absens accersitur, si in vrbe est, ad regem adducitur, Rex de hac sublectione certior factus, recens creatum, vti libuerit, aut adprobat, aut honore indignum pronunciat, quod tamen nunquam penè fieri solet. Tùm verò ille recens designatus senator sollenni cærimonia, in manum Regiam iurat, quemadmodum mores ipsorum habent; ius & iustitiam, ex legum, constitutionum, atque statutorum*

*Regni*

*Regni præſcripto, ſummo ſtudio ſartam tectam ſe cuſtoditurum, cùm ſuum cuique tribuendo, tùm Proregibus ſeu Rectoribus prouinciarum, cæteriſq; magiſtratibus nominandis: neq; vlla in re priuati amoris odiíue rationem habiturum, neque per ſe, neque per alios, largitiones vllas aut dona captaturum, aliaq; huiuſmodi: inſuper, nunquam vlli contra Regem inito conſilio aut conſpirationi, aures præbiturum, quocunque modo tale quid reſciſcat, cõtinuò ad regem aut ſenatum omne relaturum, ſalutem Reipub. incolumitatem Principis modis viribuſq; omnibus curaturum eſſe. Præſtito iureiurando, in curiam adductus in ſedili vacuo, ad læuam, magna cum ſollennitate collocatur. Inde per dies aliquot feſtæ lætitiæ ſpectacula, tàm à conſiliariis, quàm à ciuibus & aulicis tota vrbe eduntur, tabernæ mercatorum atque opificum, omiſſis negotiis, operiſq; omnibus clauduntur. Si res aliqua inciderit, de qua cum Rege agendum ſit, nemo id facit, niſi ſolus Curiæ præſes, aut ſi is morbo impediatur, è collegio ſenatorum antiquiſſimus, qui proximus à Præſide ſubſel-*

*lio aureo insederit. Ad Regem verba facturus, maximam partem, in genua submissus eum alloquitur, oculos, interim ad terram defixos, nequaquam attollit, quamuis vltra duas sæpè horas negotium ꝑtrahatur. Proreges, Rectoresq́; prouinciarũ, cæteraq́; minora officia, militũ itẽ ductores, ijsdem moribus regem adsantur, senatus singulis mẽsibus resciscit, quicquid vniuerso in regno maioris momenti acciderit: imò de omnibus potius, quæcunq; contigerint, certior fit. Nã, qui prouincijs præsunt, id expressè in mandatis habent, vt menstruatim de suæ quisq; prouinciæ negotijs, sigillatim continuò quæcunq; opus fuerint, ad senatum referat, siue ad bella, quid, siue ad publicũ regni & prouinciæ statum, siue ad vectigalia regia, siue quocunq; tandẽ pertineat: quibus præceptis vsq; adeò diligenter & sollicitè omneis parent, vt, quantumuis prouinciarum aliqua ab aula ad quingenta milliaria distet, præstituto tamen tẽpore nuncij per dispositos celeres equos, ad condictum eò aduolent; quiq́; primi venerint, cæteros ad postremum vsq; expectãt, vt vno scilicet, eodemq; tempore,*

*lite-*

*literas & mandata expediant, quãuis, qui longißimè ab aula distant, operam dent, ne quidquam ijs, qui propius ab ea absunt, concedant, sed tàm diu nunc hos, nunc illos veredarios ocyßimè dimittunt, donec tandem alteri in alteros incidant. Eadem apud illos veredorum ratio est, quæ apud Italos & Hispanos, quoq; citius aduentantes præsentiantur, cornua inflant, & tintinnabula pectoribus equorum adpendunt, vt veredorũ præfecti, equos in tempore frænent, & nautæ, si flumine (vt sæpè fit) iter faciẽdum sit, paratas ad manum naues habeant. Nunciis in senatu auditis, Curiæ præses summam omniũ, de quibus senatus certior factus est, ad regem sigillatim refert; Rex, vnà cum senatu, exinde, quod è re videtur, decernit. Si magistratuum quempiam, ad explorãdam eam, de qua in senatu actum est, rem, ablegare necesse fuerit, is continuò nominatus, dimittitur: legatus in cuncta sedulò inquirit, idq; tàm secretò, vt ne vrbis quidem, nedum regionis eius, in qua hæc actitantur, incolæ, quidquam sentiant.*

*Sed cùm de his sequenti capite plura dicturus sim, hoc tantùm paucis addam: Regem solùm, maiestatis & dignitatis suæ, omniumq́ adeò rerum velle arbitrum esse, atque monarcham summum: ita, vt quamuis tāta Regni amplitudo, tot sint, quot recensui, prouinciæ & vrbes, nemini tamen magistratuum capitali pœna quemquam afficere liceat, absque Regis & Curiæ consensu, præterquam belli tempore, quo, quòd fortè periculum in mora esset, exercitus duci, aut fiduciariam operam obtinenti, contumaces milites capite aut suspendio punire permissum est, etiam nesciente rege, conscio tamen Regio quæstore, aut equitum magistro, qui duo, permagnæ sunt autoritatis, adeò, vt illis inter se dißidentibus, lata in hominem supplicij vltimi sententia exsecutioni mandari nequeat.*

## De officijs Palatinis, Rectoribus Prouinciarum, & modo gubernationis Reipublicæ.

*Cap.*

## CAP. IX.

SVprà diximus, Paghiam & Tolanchiam prouincias, pro summo magistratu, alium neminem, quàm senatum agnoscere. Ab eo cæteri minores earum regionum magistratus creantur. Cæterarum tredecim prouinciarum, singulis cum imperio præest quidam, Insuanto, Chinarum lingua dictus (Propræsidem vocare posśis) secundus à Prorege, is metropolin prouinciæ (vnde regioni plerumque nomen est) incolit. Atque sanè etsi omnia Regni officia, omnes Iuri dicundo præpositi, cuiuscunque conditionis sint, in genere Loitÿ vocantur, peculiare tamen insuper ab eo quisque, quod gerit, publico munere, nomen habet: neque ineptè facturus videor, si huiusmodi nomina hoc loco recitem. Prorex cuiuslibet prouinciæ à rege constitutus, primarium & summum inter Palatina officia locum obtinet. Is Comon ab ipsis nũcupatur. Secundus ab eo est Insuanto seu Propræses, Proregi authoritate propemodum par. Intutuanus rector est ciuitatis, cui Prorex aut Propræses, ipsimet non præsunt. Atque hic grauioribus de rebus,

*quæ in administrationem muneris sui incidunt, ad Insuantonem, Insuanto continuò ad Comonem refert, Comon per dispositos celeres equos ( vt priori capite diximus ) in Aulam statim denunciat. Tertio dignitatis gradu conspicuus, Ponchiasi dicitur: Is quasi præses est eius collegij seu consilij, cui regioru vectigalium, & redituum prouinciæ cura subiicitur. Habet enim adiunctos consiliarios & Adsessores, ministrosq; complureis, præsertim apparitores quosdam, qui tributa vectigaliaq; Regia in prouinciis cogunt: quæ ab ipsis accepta, Ponchiasi Tutuano reddit, detractis tamē prius singulorum magistratuum, regiorumq; ministrorum, quæ ipsis regis nomine ille dependet, salarijs, & sumptibus tàm necessariis, quàm aliis. Quarta dignitas Imperatoris est, tàm equestrium quàm pedestrium copiarū, in prouincia: Tolocus is vocatur. Quinta est, Anchiasi, rerū forensium, & capitalium & ciuilium, summi iudicis seu Prætoris. Iste cum adsessoribus aliquot, sententias à minoribus iudicibus iurisdictioni suæ subiectis, latas, à quib. ad ipsum est prouocatum, recognoscit, & retractat.*

*ctat. Sexta est, Præsidis concilij militaris; cuius officij est, populum ad arma conuocare, naues vndique parare & cogere, commeatu, munimentis, armis, classem instruere, ne quid horum, præsidiariis, ne quid limitaneis militibus vspiam desit, prouidere: peregrinos etiam, qui in prouinciam venerint, excutere, ab eis, vnde, aut cur eò venerint, exquirere, & alia id genus: & quæ de illis intellexerit, eorum proregem in continenti certiorē reddere. Sex hæc publicorū munerū genera maximæ sunt dignationis, neq; minori in existimatione habentur, ij, qui huiusmodi magistratibus à ministeriis esse solent. Habēt insuper singuli isti magistratus, adiunctum sibi collegium decem adsessorū, viros insigni cura delectos, qui laborū partē sustineant. Quinq; ex his (vbi in Curia cōuenerint, in ædib. proregis, in queîs singula senatorū collegia, suū habent magnificè instructū senaculum) ad Præsidis sui dextrā, quinq; ad sinistrā consident: dextimi ætate, autoritate, dignit. sinistimos antecedūt: & ab illis hoc modo distinguūtur, q Zonas auro intertextas, & crines flauos, sinistri verò cin-*

*cingula argento elaborata, pileosq; cyaneos gestant: quod quidem præter ipsos, alijs licet nemini. Et adsessores & præsides in pectore, & humeris dorsótenus, insignia Regis acu picta ostentant: neque nisi hoc sollenni cultu, limine pedem efferre, vel quidquam publicum attrectare audent. Præsidi mortuo, succedit veterrimus è collegio, eodem modo, quem à supremo senatu Regio obseruari, priori capite ostendi. In genere, omnes hi iudices, hunc sibi, ciuili sanè & perlaudabili instituto, morem vendicant, quòd patientissimè singulos audiunt, licet interdum turbidior aliquis, iracundè eos, elatiorìq; voce adloquatur, adeò diuturna consuetudo, cum quibusuis dextrè atq; ciuiliter agendi, apud ipsos in naturam iam abijt, vt etiam, ad mortem à se damnatos, mitissimè interdum alloquantur. Si in prouinciam aliquò profectio, aut quæpiam maioris momenti res excutienda inciderit, adsessorum vnus ipsemet totius senatus nomine eò contendit. Præter sex ista, quæ nominauimus, magistratuum genera, multi sunt alij, minori potestate, Iudices, ingenti tamen in honore habi-*

*habiti, vt & reliqui omnes, qui hoc in regno functiones publicas sustinent. Hi sunt: Cautocus, primus vexillifer: Pochim, ratiociniorum Propræfectus, siue Proquæstor: Pochinsi, Regij sigilli custos: AntZatZi, Prætor vrbanus. Tres alij sunt: Huitai, TeZia, Tontai vocati, qui idē muneris gerunt, quod in Hispaniensi Aula Quæsitor. Hi singulis septimanis in suis ædibus semel cōuentum iuridicialem agunt, & quater, cùm ianuas aperiunt, displosis tormentis, cunctos monent, sese, iudicio contendere volentibus, ius dicturos. Vbi sontem quempiam deprehenderint, continuò lictorum (quorum decem habent aut duodecim) cuidā eum tradunt, ad legitimum ipsius iudicem vrbanum deducendum, quem scripto monent, qua pœna hominem adfici velint: ille certo posteà in vico, mandata exsequitur. Zampaus hic, siue Proprætor (sunt autem quaq; in vrbe plureis huius nominis atque officij) mille familijs præest, neque alteri alterius iurisdictionem interpellare, neque in ea vrbis regione Iudici esse licet, in qua ipsemet penateis habuerit. Singulis noctibus, suis quis-*

*quisque in finibus, circumeunt, curant, vtì ciues sint in suis omnes ædibus, lucernæ intra certum tempus ritè extinguãtur, incendiorum scilicet cauendorum gratia, olim, cum multorum clade frequentium. Domus enim angustè inter se cohærent, ligneisq; cõtignationibus omnes sunt exstructæ. Si vltra præfinitum tempus ignis in cuiusquam domo deprehendatur, is verò seuerè plectitur. Ab solis hisce iudicibus, ad eos, (quos diximus) Quæsitoreis prouocatio est: ab aliis non ad Quæsitoreis, sed ad legitimum Censorem, is causis huiusmodi excutiendis, damnisq; resarciendis vacat. Vnde Homdim à Chinis appellatur, quasi seruator aut opitulus, summoq; honore adficitur. Supersunt, quæ enumerabimus, alia etiam officiorũ genera: vt eius, qui Tompo dicitur, ædilis cerealis, eduliis inspiciendis, pretiisq; eorum statuendis præpositus: Tibuco; ociosos & errones capiendi atq; puniendi potestate præditus. Chinchie, lictorum primus: Chioncam, carcerum seu vinculorum præfectus: Hic tantæ dignitatis munus gerit, vt maiores Iudices stans adloqui audeat, si prius in*

*limine*

*limine atrij, debitum ipsis, insigni cærimonia, genibus in terram vsq; submissis, honorẽ exhibuerit: cæteri oẽs, genibus innixi, ad eos verba facere coguntur. Quando proreges aut magistratus, à supremo senatu Regio, prouinciæ alicui, aut vrbi, cum imperio p̃ficiuntur, duobus aut tribus diebus, anteq̃ eò veniant, diploma, delatæ potestatis argumentũ, ad incolas aut ciues eius loci mittũt. Qui, vbi id inspexerint, & fide dignum esse iudicarint, exercitus, signis vexillisq; pluribus cõspicuus, Loitij, magistratusq; cæteri omneis, ingẽti cum lætitia, aduentãti obuiã procedũt, vmbellis sericis, expansisq; aulæis, florib. & festa fronde exornatis, viæ passim excultæ conspiciuntur: demũ, nouus Prorex, aut propræses, honorificè domum ab illis deducitur: suaui interim omniũ aureis demulcente harmoniæ musicæ concentu. Omnibus hactenus enumeratis magistratibus, Regis nomine quidam suprema omniũ cum potestate præest: is Chinchiai vocatur, quod idẽ est, ac si dicas, aureum sigillum. Et hic quidem ex Aula nunquam discedit, nisi id maximarum grauissimarúmque rerum,*

*quæ*

*quæ ad ſummam ſalutem Reipublicæ, pacemq́ omnium & tranquillitatem cuſtodiendam pertineant, ineuitabilis neceßitas poſtulauerit. Cæterùm ſequenti capite, de modo in cunctis huiuſmodi diſtribuendis muneribus Chinis ſollenni, deq; alijs ad Reipublicæ ipſorum moderationem pertinentibus, agemus.*

## De cæteris officijs publicis, & de ritibus apud Chinenſes in foro, curia, & reliqua publicorum munerum adminiſtratione vſitatis.

### CAP. X.

*OMnia ea, quorum priori capite meminimus, officia, ſeu magiſtratus à Rege, & ſenatu Regio creantur: qui diligentißimè, qui qualéſue ſint ij, quibus publicum aliquod munus capeſſendum eſt, exquirunt; id verò maximo ſtudio cauent, ne Proreges, prouinciarum Propræſides, Adſeſſores, ea è prouincia oriundi ſint, cui cum poteſtate præficiuntur, vt ne ſcilicet amore cuiuſ-*

cuiusquã aut odio distracti, ius iustitiamq; violent. Magistratus, ab eo die, quo, post delatum munus ex aula discedunt, vsq; dum in suam quisque prouinciam venerint, nullas omninò de suo impensas faciunt. Passim enim per vias, regia occurrunt stabula seu diuersoria; ijs impositi sunt à rege certi hospites, qui aduentantes huiusmodi viros excipiant, necessariaq; omnia ipsis, eorum comitibus, ministris & equis suppeditent, idq; tàm nauigio quàm terra iter facientibus. Sumptibus certus est præfinitus modus, & quantum in quemque impendij faciendum sit, habita personarum, honorum atque munerum ratione, determinatum. Vbi in diuersoria Regia ventum est, interrogantur, impensæ loco dapésne, an pecuniam acceptare malint? & sunt, qui alicubi amicos fortè aut notos habeant, à quibus, vt apud se diuertant, inuitentur, ideoq; pecuniam impensæ nomine accipiant atque comparcant. Harum rerum præcipua cura penes Ponchiasin est, Regij consilij, penes quod vectigalium redituumq; prouinciæ potestas est, præsidem, Regis & supremi senatus scito constitutum.

*tutum. Is, vt eæ domus lectulis, stratis, aliaq́ supellectili, cunctis denique ad victum necessariis, cõmodè instructæ sint, adcurat. Ab vrbibus, recens creatorum magistratuum gubernationi commissis, illi non lætissimè solùm, & perhonorificè suscipiũtur, sed in regiis etiam ædibus, cum comitatu diuertunt, & vnà cũ suis, omnibus, ad officii sui munus aptè obeundum necessariis, liberalissimè instruuntur: præsto ipsis sunt apparitores scribæ, quiq́ alii minora munia sustinent. Qui omnes in iisdem ædibus regiis habitant, & ampla à Rege stipendia ferunt, grauissimaq́ illis pœna, ne dona vlla aut præmia à quoquam litigantium, seu eorum, quibus cum magistratu res est, captare ausint, est interdictum. Verùm multò grauius magistratui, istuc factitanti supplicium imminet: cui eam ob rem, & vitandæ confusionis omnis ergò, cùm ex aula in prouinciam dimittitur, suprema Curia nominatim inter alia edicit, ne sententiam ferat, néue actus iudiciales exerceat vllos, nisi, aperto, quod aiunt, velo, præsentibus cunctis ministeriis, audientibusq́, qui in senaculo sunt, omnibus. Modus publicandi*

di

di sententias talis est. Iudice tribunali insidente, præcones ad fores senaculi abeunt, alta voce litigatorem citant: postulationem eius aperiunt: ille interim, aliquantum à sella iudicis remotus genubus inniti cogitur: pòst clara & ipse voce caussam suā agit, aut scripto comprahensam tabellioni offert: A tabellione scriptum pellegitur. Iudex auditis litigātis postulatis, re deliberata, excusso causæ statu & rationibus, quod ius fasq; sibi videatur, statuit, rubeoq; colore sua manu sententiam conscribit. Iudicibus anteq̄ auditoriū ingrediātur, cibo omni, potuq; interdictū est, ni disertè Rex ꝑmittat: cuius moris tàm arcta est obseruatio, vt eius negligens, cuiuscunq; tandē ordinis fuerit, sine mora graui pœna afficiatur. Ac, vt interdū ecligmate aliquo, aut hypotrimmatib. aut alijs huiusmodi cupedijs, anteq̄ in curiā accedāt, eis vesci liceat: Vinū tamen, vel atroci ēt cōflictātes morbo, bibere planè ꝓhibentur, & tolerabilius longè videtur, atque præstabilius, si Curia penitus abstineant, quàm cibo potúque onusti eò ventitent. Quia igitur hæc in conspectu omnium ità geruntur, ne ministri quidem corrumpi facilè

*possunt, quin id magistratuum quispiam sentiat, cumq; tanta seueritate inspectiones & disquisitiones omnes instituantur, alter alteri nihil confidit, metuens, ne tùm, aduersario pestem sibi machinante, concidat. Tabelliones, apparitores, cæteriq; Curiæ accensi, munia sua diligentissimè obeunt. Officium negligenti, vexillum in manus datur, id ille genibus innitens eousque retinet, dum cognitionem eam iudex absoluerit, qui postea virgis eum cædi iubet, pro modo omissi ab eo muneris. Sed hoc sæpè cùm eueniat, parùm ignominiosum habetur. Iudices hi seu magistratus, cùm per vicos obequitãt, quod tamen autoritatis tuendæ caussâ rarissimè faciunt, ab omnibus ministerijs forensibus honoris caussâ deducuntur, eo, qui sequitur, more. Primi, qui agmen antecedunt, contis quibusdam longis impositos gerunt scipiones argenteos, cuiusmodi Romæ Cardinalibus præferri solent, quibus indicatur, quendam è magistratuum numero aduentare: alii duo, arundinem quisque prælongam atque rectã, manu in sublime elatam defert, qua iustitiam eodem modo excelsam atque ere-*

erectam debere esse commonstratur: horum vestigijs rursus duo insistunt, qui similes binas arundines gestant; de quibus rubri quidam longiusculi funes dependent, ijs virgarum aliquot fasces, puniendorum sontium instrumenta, colligantur. Incedunt exinde bini, tabulasq; aliquot albas deferunt, peltarum forma, quibus inscriptum est magnatis illius nomen, officium & titulus. Cæteri honoris ergò hominem comitantur: qui contos, quos dixi, oblongos præferunt, clamore populum monent, vt venienti via decedat, transeuntiq; in mora ne sit: diffugiunt timidi omneis, experientia iam dudum docti, restitantes in vestigio pœnas dare. Magistratuum seu iudicum, qui maiori sum potestate sunt, tantis honoribus adficiuntur, vt ipsorum aliquo prætereunte, nemo, cuiuscunque conditionis fuerit, vspiam sese mouere; aut in via conspici ausit; nisi superueniat fortè alius, maiori magistratu præditus: huic, dignitate minor, eundem honorem exhibere cogitur, ni faciat, è vestigiò pœnas dat. Omnes tàm ciuiles, quàm criminosæ actiones, in scriptis proponuntur:

Iudices omnia palàm in conspectu omnium curiæ adcensorum, peragunt, quo etiam modo, cunctis illis præsentibus, testes examinare atq; audire solent, vti fraus scilicet omnis dolusq; caueatur, qui euenire posset, si testes de rebus ad caussam nihil pertinentibus interrogarentur, aut testimonia non ritè annotarentur; seorsim tamē prius singulos audiunt, eosq;, si testimonia eorum confligere, & collidi animaduertāt, inter se cōponunt, tot in medium allatis interrogationibus, donec inter illos rixæ oboriantur, vt hac ratione veritas eò magis elucescat; quam si hoc modo expiscari nequeūt, quæstiones per tormenta adhibent, quamuis honestis, & boni nominis viris, fidem quoque habeant. In grauioribus caußis, quæq; ad maioris notæ homines pertineant, Iudices tabellionū diligētiæ diffisi, suis manibus rem omnē, actaq; vniuersa conscribunt: dicta testium sæpius diligenter excutiunt atque examinant, ita vt raro admodum quisquam iudicio sese circumuentum aut oppressum esse conqueri iustè poßit, laudabili me herculè diligentia, cunctisq; magistratibus damni & confusio-

*fusionis, quæ è supina atque oscitanti tuendarum legum, & promouendæ iustitiæ cura nascitur, auertendæ cupidis, vtique imitanda, cùm hi inanium Deorum cultores, tanta cum pietate, tàm insigni studio iustitiæ tramitem obseruent, neque solùm iustè nullo cuiusquã hominis respectu, nulla adfectuum ratione habita, iudicent, sed quosdam etiã mores obseruent, consuetudinesq́, quæ non immeritò alijs exemplo esse poßint: quarum vna est, quòd iudices apud eos sunt (quos Zampaos vocari dixi, velut proprætores) quorum vnusquisq́, suos intra limites, dinumeratis cunctis ædib. (quarũ mille eum præesse diximus) denas vni tabulæ inscribit, eã decimæ ex hisce domib. affigit: inscripta aũt illi sunt nomina denûm patrũfamiliâs, qui domos illas poßidẽt; omnibusq́ & singulis seuerè præcipitur, si quis è denis contra decus aliquid faciat, si quidquã vel vicinis, vel Reipub. noxium perpetret: quisquis ex illo numero primus id compererit, vti ad magistratum deferat, quò impurus iste, dignum factis supplicium luat, aliisque exemplo sit; si quis verò ad fa-*

*cinus aliquod tacendo conniueat, eandem pœnam ſubit, quam ſceleratus erat ſubiturus, ſi delatum ad iudicem crimen, probatumq́ fuiſſet: quæ cauſa eſt, quòd vicinus vicini dicta factaq́ adeò obſeruet, & ſinguli cautè admodum vitam degant, ne ſcilicet in crimen vocentur, aut inimicis vlciſcendi ſeſe, ipſorumq́ aliquando nomen deferendi occaſionem præbeant. Si fortè acciderit, vti quis ex denis illis patribusfamiliâs, in tabula annotatis, è ſua vicinia in alium quempiam vrbis vicum demigret, aut alio in oppido, ſeu quocunque tandem, ſedem ac domicilium collocet: aut peregrè aliquò abiturus ſit, denis ante abitum diebus, vicinorum domos præterire cogitur, tintinnabulum aut peluim aheneam pulſitans, idem eo quoque loco, in quem penates translaturus eſt, factitat, quo admonitus vicinorum quiſque, ſi fors, qui ex eo vico migrat, quidpiam æris alieni contraxerit, aut aliud aliquid mutuatus fuerit, ſuum in tempore repetat. Sin, his neglectis, è vicinia ille abierit: magiſtratus vicinos cæteros, tabulæ (vt ſuprà dixi) inſcriptos, ad eius qui diſceſſerit,*
*nomi-*

*nomina diſſoluendum cogit: quod neque ſeſe, neque creditores de diſceſſu hominis præmonuerint. In ære alieno preſſos, & probata nomina expedire nolentes ſeuerè animaduertunt; ſi creditoribus ſatisfacere nequeant, in carcerem coniectis, breue tempus expungendo nomini præfiniunt, eo elapſo, ni interim debita ſoluerint, aut cum creditoribus conuenerint, verberibus eos cædi iubēt, mitius primo, alium dein diem ſtatuunt; ſi ne tùm quidem alieno ære exierint, acrius percutiūtur: atq; hoc modo tàm diu dies decoctori præfigitur, tàm diu plagæ infliguntur, donec, ni ſoluat, ad necem vſque cæſus fuerit. In eo itaque totus quiſque eſt, vt nomina ſua explicet, aut propinquorum ope & conſilio rationibus ſuis prouideat, aut creditori ſuo in ſeruitutem ſe addicit, vt à moleſtijs diri carceris verberumq; atrocium & intolerabilium eripiatur. Tormentis duplici modo quærunt, vbi prius omnem curam adhibuerint, omnibus viribus contenderint, vt lenitate potius quàm acerbitate verum eliciant. Priori tormenti genere pedes, poſteriori manus excruciantur, vtraque ſa-*

*nè atrociſsimo, quibus ſuſtinendis, perpauci adeò pares reperiuntur, quin admiſſum ſcelus celeriter fateantur. Cæterùm neminem in quæſtionẽ dant, niſi pmiſſa diligenti diſquiſitione, aut delicto ad minimũ ſemiplenè pbato, aut certè notoriis exſtãtibus indicijs. Manib. hoc tormẽti genus adhibẽt: bacillos aliquot, craſsitudine duorũ digitorũ, lõgitudine palmi maioris, ſingulos pforatos, tornales, vtraq; ora funiculis quibuſdã traijciũt, eosq; per foramina contrahunt: ſontiũ poſtea digitos bacillis implicant, bacillosq; funiculis ſenſim vſque adeò arctè conſtringunt, donec inſertorum digitorum iuncturæ eluxentur, intolerãdo miſerorum dolore, horrendum vociferantium, & miſerabiliter ingemiſcentium. Si tùm nihil fateantur, iudicibus autem, aut è teſtium dictis, aut conſtantibus aliis ſignis, de facinore conſtet, in pedibus eos, atrocius etiam quàm antea, hoc modo excruciant: Machina quadam ferrea quadros duos aſſeres coaptant, longitudine vnius, latitudine quatuor ſpithamarum, vtraque itidem ora perforatos; eas fune traijciunt eadem, vtì ſuprà diximus.*

*mus, ratione: illigant deinde intra aſſamenta illa ſontium pedes, eaq́; malleo ingēti tundunt, & dolorem ita ictuum multitudine, eo, quo manus afficiuntur, quamuis etiam (vt dixi) vehementi, reddunt acerbiorem. Sed huiuſmodi quæſtiones exerceri minimè ſolēt, niſi præſente Iudice ſupremo, idq́; rarò admodum. Nā captiui quiduis confiteri, & morte, quàm tantis cruciatibus affici malunt. Carceres etiam habent tetros atque horrendos, vt ſuo loco, peculiari capite demonſtrabimus.*

## De Cenſoribus, quos quotannis Rex, vt in ſingulorum, per prouincias, magiſtratuum acta inquirant, ex aula cum poteſtate, dimittit: & de modo animaduertendi in ſontes.

### CAP. XI.

*REx hic idololatra, tantam in eo operā, tantum ſtudiū ponit, vt proreges,*

*præ-*

*præsides, & quicunque alicui cuiusuis generis muneri publico præsunt, egregia sint morum integritate, vt, quantumuis postquam officiis sese abdicârint (quod ternis quibusque annis fieri solet) à quibusdam peculiariter eam ad rem à rege desigñatis magistratibus (Chiaeni illi vocantur) in acta eorum omnia accerrimè inquiratur: nihilominus tamen alios quosdam megistanas seu Censores quotannis secretissimè & occultissimè in singulas prouincias ex aula dimittit, hi Leachi dicuntur, omnium ministrorum Regi intimi atq; fidissimi, eiq; longo vsu, & præclarè actæ vitæ, multiplicium in se obsequiorum, munerumq;, queîs præpositi fuerant, fideliter atque laudabiliter gestorum experientia percogniti. Ignoti per prouincias hinc inde volitant, in vrbibus passim, locisq; frequentibus, clanculum expiscantur, quibúsnam iniuriis atq; oneribus, populum magistratus opprimant: atque ita in angulo (quod aiunt) cum pauculis aliquot miscẽt susurros, id est, occultè obaudiũt hominum sermones, & potestatem habent diserto Regis iussu & designatione, eos magistratus,*

*qui*

*qui ab officio discessisse conuicti fuerint, euestigiò, nihil expectatis amplioribus mandatis, capiendi, puniendi, à munere omninò, aut ad tempus amouendi, ad summam, cum illis, vt lubet, agendi, capitali tamen pœna adficere neminem audent, quod Rex id totum sibi soli planè, vt suprà dixi, reseruarit. Qui, quò maior sit huius Censuræ dignatio atque autoritas, vocatos, antequam ex aula dimittat Censores, ad iusiurandum addicit, fidei, iustitiæq; obseruantes atq; taciturnos fore; inde, peculiare quoddam potionis genus ipsis degustandum præbet, firmandæ caussâ religionis. Vt autem creatio siue institutio huius magistratus eò sit secretior, consiliarij scribis demandare solent, vt in literis honorariis, seu diplomatibus expediendis, tantum relinquant interualli, quò eius, qui hoc munere functurus est, prouinciæq;, in quam eam ob rem ablegatur, nomina, posteà inscribi possint, additis nihilominus sollennibus clausulis omnibus; vt magistratui huic siue Leitio literas exhibituro, æquè ac ipsimet Regi, omnes obediant. In diploma sigillo Regis munitum, summi*

*sena-*

*senatus Regij præses, Censoris & prouinciæ nomen demum inscribit: Censor occultissimè ex Aula discedit, adeò cunctis incognitus, vtì nemini constet, vbínam sit, quò eat, aut quid facturus sit. Vbi suam in prouinciam venerit, quàm secretissimè potest, dissimulata planè persona, vitam & mores Proregis, propræsidis, aliorumq; huius generis primatum explorat: regione vniuersa hunc in modum peragrata, omnibusq; ad amussim inuestigatis: in metropolin prouinciæ, supremæ dignitatis magistratuum (de quibus ea, quæ diximus, est expiscatus) sedem sese confert. Tùm omnibus Primoribus in domo Proregis, concilium (vt & singulis mensibus fieri solet) indicitur. Cunctis itaq; in vnum coactis, & fortè ne gry quidē hac de re cogitantibus, ad fores Censor accedit, Ianitori mandat, ingrediatur, Indicet congessui, adesse à Rege legatum, è magnatibus duempiã, cupe conuentum senatum habere, se quo Regis nomine cum eo agat. Prorex è verbis ianitoris facilè colligit, quidnam hominis adsit, ostium statim iubet aperiri, ipse adsessoresq; adsurgunt omnes, suis è sedili-*

*bus,*

*bus, summæ authoritatis legatum exceptu-ri: Ille manu explicatum diploma præten-dit, nō sine ingenti omnium terrore, eorum imprimis, qui sibi malè sunt conscij, id dein-de publicè perlegit, tùm verò Prorex, è sua statione progressus, magnum ei insigni cæri-monia honorem habet, idem cæteri faciunt, summo obseruantiæ & obedientiæ edito ar-gumento. Censor, mox in sede suprema, ho-nestißimaq; sessum it, atque vt fieri solet, de suo aduentu, diligentiaq; ad inuestigandam disquirendamq; veritatem adhibita, præ-fatus; officio functos, amplißimis collaudat verbis, honorificentioribus eos subsellijs cō-sidere iubet, regi & senatui, ob rempubli-cam benè gestam, de meliore nota se com-mendaturum esse pollicetur, vtì digna fa-ctis præmia ferant. Verbis posteà seuerißi-mis, eos, qui de officio decesserunt, corri-pit, sententiam in eos latam, coràm per-legit, cunctísque audientibus, facinora eorum publicat, addito, eam sese ipsis irrogare mulctam, quæ ex decreti formu-la in illos constituatur. Eam, etsi interdum peracerbam, mox exsequuntur, neq; vlla*

*cor-*

*cōdemnati excuſatio locum habet, cùm nulla ab huiuſmodi ſententijs legitima appellatio ſit. Reus, antequam aut verbis caſtigetur, aut pœnas alias pendat, inſignibus prius dignitatis, cingulo, pileoq́; parua quadā faſcia redimito, exuitur: neque enim, niſi prius, hoc modo, ademptis ornamentis exauguratum, Cenſor vlla moleſtia aut pœna afficere audet, ni ſuimetipſe capitis diſcrimē ſubire velit. In locum exautorati ſenatoris ſeu abdicati à magiſtratu, alium eueſtigiò ſufficit; eum ſeuerè monet, exemplum illius, cui nunc decreto Regis ſuccedat, accuratè intueatur, officioq́; ſuo fungatur, neque vllam in partem ei deſit. Nonnunquam Cenſor in mandatis habet, vtì eis, qui muneribus ſuis cum laude præfuerunt, ampliores det poteſtates. Quamobrem, cùm probos, cognita eorum integritate, præmijs affici, ſceleratos graues pœnas dare, idq́; adeò conſtanter obſeruari manifeſtum ſit; vtique Chinarū reſpublica inter totius orbis optimas & præſtantiſsimas iure meritoq́; connumeranda eſt, præſertim ſi ea, quæ diuerſis locis de adminiſtratione ſtatuq́; eius à me*

*allata*

*allata sunt, cum ijs conferantur, quæ diuturna docti experientia, alijs ciuitatibus vsu venire vt scimus, ita fateri cogimur. Inuisere prætereà Censores omnium prouinciarum archigymnasia solent, atque academias, vt posteà dicam; explorant literas discentium eruditionem; eos, qui magnos in studijs progressus faciunt, aut ad ea diligentiam conferunt, perblandis, vt in instituto pergant, incendunt verbis, negligentes verò, ignauos, & indociles, verberibus affici, in vincula conijci iubent, nonnunquam è scholis planè eijciunt. Qua de re, peculiari capite, adiecta honorum & præmiorum, quibus literati exornantur, descriptione, pluribus agemus.*

## De custodijs, & modo reos mortis capite puniendi.

### CAP. XII.

*QVemadmodum magistratus, eorumq; ministratores, in pœnis exigendis, atroces atque acerbi sunt, ita & custodias habent*

*bent ſupra modum tetras & horrendas, nocentibus ab iniuria cuiuſquam, turbandaq́ amplißimi regni trãquillitate publica, cohibẽdis, deſtinatas: atq́, vt eſt ingẽs hominum multitudo, ita carceres etiam plurimi maximiq́ ſunt. In qualibet vrbe primaria, ſingularum quindecim prouinciarum, tredecim carceres ſunt, præaltis cincti muris, tantæ amplitudinis, vt præter ædificia & domos excubitorum, miniſtrorum atque militũ, qui perpetuas ad eos vigilias agunt, piſcinas, hortos, areas, cauædia comprehendant, in quibus leuiora ob delicta captiui, interdiu degunt, cauponas item, atq́ officinas, ad varia opificiorum genera exercendum, idoneas, quæ captiui, quærendi victus cauſſa, manu ſua tractare coguntur; id ni facerent, fame periclitarentur, cùm ob captiuitatem, ſuarum rerum poteſtatẽ nullam habeant. Nam licet quis ſæpè leuem ob cauſſam in carcerem cõdatur, perdiu tamen in eo detinetur, quia magiſtratus in ferendis ſententijs, ob vrbium magnitudinem, cauſſarumq́ multitudinem, tardi admodum ſunt, in exſequendis, etiam cunctã-*

*tiores,*

tiores, vnde frequenter accidit, vt capite damnati, tamdiu in vinculis adseruentur, donec aut senio, aut morbo cōfecti, aut asperitate etiam carceris, ante supplicij diem intereant. Ex tredecim hisce custodijs, quatuor plerunq; captiuis ad mortem condemnatis, refertæ sunt, quarum cuilibet centurio, cum suis militibus, est præpositus, hi in manipulos diuisi, ad eas noctu atque interdiu excubant. Quilibet capitis condemnatus, de collo suspēsam gerit tabulam dealbatam, ad pedes vsque dependentem, cubito paulò latiorem, cui caussa damnationis inscripta est, ex actis curiæ excerpta, alijq; cuidam respondet libro, qui penes centurionem, carceris custodem est: noctu, ministri captiuos in sua contrudunt habitacula, quorum fores in hortos exeunt, manus eorum & pedes cippis colligant, & exporrectos deorsum, ore tabulato imponunt, huiusmodi vsibus dicato, pòst annulis quibusdam, inter captiuos, inuicem conglutinatis, insertas catenas aliquot ferreas supra terga miserorum expandunt, quas adeò constringunt, vt neq; hac, neq; illac se vertere illi possint, tùm vn-

*diq; eos, ſolo capite excepto, aliјs aſſeribus contegunt; adeò, vt multi ſumma in moleſtia & cruciatu ægre vitam trahentes, deſperatione ipſimet ſibi necem conſciſcant, quod tanta cruciamenta ſuſtinere, operisq; ſuis victũ ſibi parare nequeant. Iis, qui neq; ipſi, vnde viuãt, neq; alios, à quib. alantur, amicos, propinquósue habent, certum oryzæ, qua victitent, numerum Rex præbet, nihilominus etiam opificia exercere coactis. Sententiæ capitales exſecutioni haud mandantur, antequam præſto ſint Cenſores Leachi dicti, aut qui tùm in horum, tùm in cæterorum omnium magiſtratuum acta inquirunt, Chiaëni vocitati, occultè munus ſuum, vt antè dixi, obeuntes. Inuiſunt hi & recognoſcunt cuſtodias, & damnationis cauſſas exquirunt. Ac licet ſententiæ latæ ab ipſomet rege, & ſupremo ſenatu confirmatæ fuerint; nihilò ſecius tamen iſti eas denuò examinant, vnà cum ijs, à quibus latæ ſunt, iudicibus; aut, his abſentibus, cum cæteris magiſtratibus. Vbi hoc ſumma cum diligentia factum, captiuos quinquaginta ſecernunt, enormia ob facinora morte da-*

mna-

*mnatos: & carceris præfecto mandant, curet, vti omnia ad supplicium sumendum necessaria, ad manum sint parata: Acta mox omnia reuoluunt, si fortè nocentium aliquos incolumes seruare poßint; si vel leuia quæpiam argumenta, ad eorum quosdam excusandos facientia, occurrerint, eos rursum à cæteris seiungunt: tribus, inde, è maioribus æneis tormentorum machinis, editis bombis, signum datur, duci ad supplicium damnatos: qui dum educuntur, iudices adhuc deliberabundi capita conferunt, disquiruntq́ue, num nam miserorum aliquis à morte eripiendus videatur: si fieri nequeat, secundò tribus displosis tormentis, sontes iam in supplicij locum deuenisse, significatur. Sed, antequam è curia iudices exeant, denuò caussas damnatorum summatim excutiunt, nũ aliqua tandẽ ratio reperiatur, quò vitam noxij producant: cuius si vel tenuem vmbram inuestigarint, à pœna liberatos, è supplicij loco in custodiam reduci iubent, grauißimè id, & molestißimè ferentibus nonnullis damnatorum: qui semel mori, quàm diritatem, de qua suprà dixi, carceris,*

ceris, diutius perpeti mallent. Dum huiusmodi negotiis magistratus occupãtur, noxij in quibusdam cinerum aceruis collocantur, cibus illis potusq; apponitur. Tandem, vbi nulla superest ratio, nullus modus, quo vitæ ipsorum consuli queat, tertiò machinæ displodũtur, & tùm è vestigio illi morte mulctantur. Formæ suppliciorum sunt, laqueo suspendere, stipitem per medios adigere, viuos comburere: sed postrema hæc pœna non nisi in maiestatis damnatos statuitur. Displosis tormentis, continuò pulsantur campanæ; magnæ tota vrbe fiunt concursationes; vesperi etenim supplicium de facinorosis sumi solet: Opifices eo die clausis tabernis, solitas operas intermittunt, donec sol occiderit, & morte mulctati, ingenti spectante populi multitudine, sepulti fuerint. Sequenti die, disquisitionem alteram magistratus instituunt, in fures, gentibus his perquàm abominandos, quos, si pœnam meruisse visi fuerint, turpiter virgis cædi publicè iubent, suspensa de collo tabula, in qua furta ipsorũ descripta continentur, triduoq; ita aut quatriduò, tota vrbe miseri exagitantur. Sub

*tibiarum etiam iuncturis, diro verbere afficiuntur, facie proni in terram impositi, manibus à tergo colligatis, arundinib. quibusdã, palmi latitudine, digiti craßitudine, aquæ aliquamdiu anteà immersis, quò magis excrucientur: duo carnifices, vnũ quisq; hominis crus feriunt, tanta sæuitia, vt à sex ictibus pedibus furcifer insistere nequeat, quinquaginta verò inflictis plagis sæpenumerò moriatur, & hoc genere mortis permulti intereunt: nonnunquã ducenti simul virgis cæduntur; atq; opinio est, hoc supplicij genere, tàm eorũ qui publicè, quàm eorum, qui in carcere plectantur, in singulis vrbibus primariis, omnium prouinciarum, annuatim necari sex millia. Cùm de sceleratis huiusmodi pœnæ sumuntur, ipsimet prœstò sunt magistratus; qui, quò minus commiseratione noxiorũ moueantur, interim, dũ in eos animaduertitur, ipsi rident, epulantur, colloquuntur. Adulteri capitis pœnã subeũt; qui verò vxores suas ꝓstituere sese patiuntur (id tamẽ nemo, nisi tenuiores & fex plebis faciunt) singularibus, vt aliis exemplo sint, suppliciis plectuntur.*

## De literis, characteribus, ludis item literariis Chinarum, aliisq; rebus admiratione dignis.

### CAPVT XIII.

*CVm hactenus Rempublicam Chinarum descripserimus, & indicarîmus eos Astrologiæ, Philosophiæq; tàm moralis, quàm eius, quæ est de natura, esse peritissimos, aliaq; politica tradiderimus; nunc operæ pretium facturi esse videmur, si de literis ipsorum, ratione scribendi, & de scholis disseramus. Ad primum igitur quod attinet, quamuis perpaucos eorum esse dixerim, qui legere scribereq; nesciant, certum tamen literarum ordinem, aut peculiares earum notas, vtì nos, nullas habent; figuris omnia perscribunt, quas formare longo tempore, magnoq; labore addiscunt. Sua enim vnum quodque vocabulum figura designatur; vt, Cœlũ (quod sua lingua Guant appellãt) hac Rex, quem Bontai vocant, hac Eodem modo, terra, mare, cæteraq; elementa, certis singula suis characteribus depinguntur: quorum habent*

*bent plureis ſex millibus, formis inter ſe diſſimiles, eos tamen ſcribere celeriter ſciunt: argumento ſunt multi Chinarum, qui in Philippinas Inſulas veniunt, ibiq; degunt. Lingua eorum è ſcriptura facilius, quàm ex voce intelligitur, perinde vt Hebræa. Punctis enim characteres diſtinguunt, quæ in loquendo minus obſeruari queant. Alium habent, quàm nos, ſcribendi modum: lineas à ſummo deorſum rectà deducunt, & contra morem noſtrum, à dextra, ſiniſtrā verſus, ſcriptitare ſolent, idem in libris excudendis apud ipſos mos ſeruatur, vt poſteà dicturi ſumus; cuiuſmodi Romæ viſuntur, in bibliotheca Vaticana, eaq;, quam maximus Rex noſter in cœnobio Laurentiano condidit, vnde, vt ex compluribus etiam aliis, quæ de ſcriptura characteribusq; Chinarum attuli, vera eſſe manifeſtum eſt: neque hoc non admiratione dignum, quòd, licet toto regno tot diuerſi idiomatis linguæ reperiantur, omnes tamen è ſcriptura potius, quàm è pronunciatione intelligi queant. Cauſſa huius rei eſt, quòd in vna æquè atq; in altera lingua, vnicus character ſeu figu-*

*ra, in ſcribendo, idem in omnibus eorũ linguis ſignificat, quod tamen in ſermone alio vocabulo enunciatur, vt ex hoc charactere colligi poteſt, quo vrbs deſignatur, quamuis, aliqui, vrbem Leombi, quidam Fu nominent; atq; idem de omnib. aliis vocabulis ſentiendũ eſt: &, hunc in modum, mutuò ſeſe intelligũt Chinæ, Iapones, Lecchij, Taprobanẽſes, Cochinchinæ, aliiq; vicini populi, licet aliàs in loquendo pinde linguis diſcrepent, atq; Græci, & Germani. Rex, omnium vrbium ludos literarios è ſuis fouet reditibus, tàm eos, in quibus lectio, ſcriptio, Arithmeticeq;, quàm eos, in quibus Philoſophia, Aſtrologia, leges ſiue inſtituta Regni, aliæq; artes curioſæ docentur. Qui ſcholis præſunt, & ſuggeſta occupant, viri ſunt, totius Regni aut prouinciæ, præſtantiſsimi: nemo apud ipſos vel egentiſsimus, legere ſcribereq; non diſcit, quod id neſcire dedecus ingens exiſtiment: literatorũ, qui grauiora ad ſtudia animum intendunt, magnus numerus eſt, ſumma adſiduitate enitentium, eos in literis vt progreſſus faciant, quò Loitij ſeu nobiles creentur, aut, ad*

*alios*

*alios honores siue titulos euehantur, quemadmodum distinctius posteà explicabo, cùm narraturus sum, quomodo insignibus seu dignitate Loitiorum, dignos exornare soleant, quod ipsis idem est, ac si quis apud nos Doctoris titulum adipiscatur. Tàm in minora, quàm in primaria gymnasia, certos quotannis Censores Rex mittit, qui discentium in literis profectus, & numnam ludimoderatores, artiumq́ue professores, munere suo probè fungantur, atque ad instituendos sint discipulos idonei, inquirant & inuestigent, & ad summam, quicquid hac in re desiderari potest, examussatim explorent. Hi, instituta exploratione, scholasticos & studiosos diligenter ac probos collaudant; hortantur, cœptis gnauiter insistant, negligentes verò, tametsi bonæ indolis sint, in carcerem condi iubent, & insuper in eos animaduertunt, contumaces, & disciplinarum hostes scholis eiiciunt, ne cæteris, quibus eæ cordi sunt, aditus præcludatur. Magnam habent papyri copiam,*

*facilè*

*facili negocio è tela ex cannis texta, factamq; ea vilis pretij est, quemadmodum & libri Chalcographicis typis expreſsi, ſed quæ ob teneritudinem & ſubtilitatem in vno tantùm latere inſcribi poſsit: ad ſcribendum eiuſmodi, quib. nos, ſcriptoriis pennis haud vtuntur, ſed calamis quibuſdam, quorum cuſpidi pennula adfixa: multi ſunt inter eos ſcribæ egregij, &, cùm, ad aliquem primariæ notæ, quidpiam ſcribunt, marginem papyri inaurare, aut colore aliquo inficere ſolent: abſolutum iam ſcriptum, ſacculo inſuunt, itidem papyraceo, inaurato, picturatoq;: huic obſignatam & complicatam epiſtolam includunt. Tantus apud ipſos eſt ſcribendi vſus, vt, quantumuis ipſimet amicos interuiſant, nihilo minus tamen chartas manicis incluſas, aſsiduò ſecum geſtent: in quibus nonnunquam vix decem characteres ſunt inſcripti: hæ nihil aliud volũt, quàm quòd huic, aut illi, amicorum, ad quem acceſſerint, ſalutem dicant. In officinis librariis venum exponuntur diuerſi generis literarum & ſcriptorum formulæ, varias ad res tractandas non incommodæ,*

*ſiue*

*siue nobili, siue cuiuscunque alicui conditionis scribas, seu roges, seu reprahendas, seu salutes, seu quicquid tandem literis cõpræhensum velis, etiam hostilibus & prouocatorijs. Quas emisti, eas, nihil aliud, quàm subscribis, obsignas, &, quò lubet, mittis. Hæc & plura alia Chinarum inuenta, quæ in sequentibus commemorabimus, & partim breui hac historia iam recensuimus, incredibilem gentis huius sagacitatem & ciuilitatem satis ostendunt, ea breuitatis tantùm studio ita adnotare volui, quæ me à diffusiore & distinctiore harum rerum tractatione, aliàs haudquaquam difficulter id facturum, abstrahit.*

## De modo explorandi eorum in literis progressum, quibus Loitiorum insignia conferunt, ritu ea conferendi, cærimoniisq; post collationem ciuitati sollennibus.

### CAP. XIV.

*CEnsores, qui, vt dixi, à Rege, summoq; senatu, ad disquisitionem in acta cætero-*

tero-

*terorum magistratuum per prouincias instituendam destinantur, inter cætera hoc etiam in mandatis habent, vt scholas diligenter inspiciant, quas Rex singulis in vrbibus fouet; singulari cum potestate, eos literatorum, ad altiorem dignitatis, ordinisq́ue gradum euehendi, quos studia sua ad eos vsque terminos produxisse animaduerterint, vt maioribus honorum titulis digni videantur: hoc idem est, ac si nobilium in ordinem cooptentur, habilesq́ue ad obeunda munia senatoria, remq́ue publicam gerendã iudicentur. Cùm autem cærimoniæ & ritus, tùm illis sollenneis memorabiles profectò sint, eos ita nunc describam, vtì ex relatione religiosæ professionis sacratorum virorum, Herradæ & sociorũ, qui in vrbe Auchicone huiusmodi adparatus ipsimet viderunt, accepi. Censor absoluta examinatione scholastica, mulctatis delinquentibus, præmioq́ue adfectis officio fungentibus (quod in vnaquaque singularum prouinciarum metropoli fieri solet) publicè edicit; vtì omneis scholastici literatiq́ue, ad subeundam probationem, & Loitiam dignitatem suscipiendam*

*dam idonei, eiusq; adipiscendæ cupidi ( Loitium verò, apud illos nobilẽ seu equestri dignitate virum, apud nos, Doctorem dicere possis ) eam in vrbem, in qua ipse commoratur, conueniant, certoq; ac præfinito die ipsi sese sistant. Ad edictum, confluentium nomina in indicem Censor refert: alium diem explorationi dicit; ad eam, honoris ipsorum caussâ, eruditissimos eius vrbis Loitios inuitat; vnà cum his acrem probationem instituit: primùm omnium accuratè sciscitatur & exquirit, probéne literati illi patriæ leges sciant atque intelligant, in qua ad magistratus quandoque & honoreis euehendi essent: nomina deinde eorum, quos Loitiorum titulo dignos existimat, in alium indicem consignat; conferendísque dignitatis huius ornamentis & insignibus, alium diem dicit. Hæc magna sollennitate, populiq; lætitia, examinatis scholasticis conferuntur, & in publico omniũ consessu conspectuq;, nomine Regis, traduntur: cingulum, scilicet, auro aut argento intertextum, pileus, quasdam quasi habens alas, cuiusmodi Loitijs gestare mos est,*

*quò*

*quò à plebeijs differant, atque internoſcantur, neque ſine his in publicum prodire audent. Etſi autem tàm ij, qui eruditionis nomine, quàm, qui virtute bellica, aut benignitate Regis ad hanc dignitatem euehuntur, in vniuerſum Loitij vocentur: gradu tamen atque ordine inter ſe ſunt diſpares. Senatores enim ſupremæ Curiæ, Proreges & Propræſides prouinciarum, Cenſores, ob exquiſitam literarum ſcientiam: militum duces, minores iudices, quæſtores, ſeu Regiorum vectigalium præfecti, clementia & fauore Regis, gratiam benè meritis referre cupientis, Loitij creantur: hi tamen nullam aliam habent prærogatiuam, niſi quòd nobilium gaudent priuilegijs & immunitatibus, nullo, præ literatis, cæteriſq́, honore inſigniori; quorum qualibet in vrbe multi ſunt. Aliud inſuper Loitiorum genus eſt, inferioris adhuc notæ: magnæ tamen & ipſum authoritatis: hi ab exercituum ducibus in bello creari ſolent, quòd bellica virtute præcellant, iuſſu regis, vbi prius idoneos fidei ſuæ, fortitudinis, & rei benè geſtæ teſtes produxerint. Hiſce Loitiorum titulo exornatis, honeſta*

*nesta etiam, militiæ, & quæstuosa munia offeruntur. Nam res præclarè bello gestas, Chinæ magni æstimant, virosq́; fortes, & facinoribus bellicis illustres, magnis præmijs remunerantur: vt & cæteri gregarij milites, ad imitandum eos, huiusmodiq́; titulos consectandum, excitentur. Nunc explicabo, quibus ritibus gradus hic honoris, eiusq́; insignia conferantur, & quomodo huius tituli compotes facti, eo die, quo in Loitios cooptantur, tota vrbe, insigni comitatu, circumducantur, cùm res & per se fortè scitu digna, & mihi, vt promissis stem, exponenda sit. Die hanc ad rem destinato, Loitij omneis splendidissimè vestiti, ad Censorem in eandem magnificam aulam conueniunt, in qua examinatio habita fuerat: vbi omnes eum in locum sunt congregati, accedunt eodem candidati Loitiæ dignitatis, vestitu perquàm tenui: Suum habent singuli anteambulonem susceptorem, siue, initiationis arbitrum, qui noui honoris insignia præfert. Hæc vt à Censore sibi conferantur, candidatorum quisque in genua procumbens, demississimè rogat. Censor au-*

*ditis precibus, iureiurando eos adigit, cunctis ſibi delatis muneribus, ſumma cum diligentia curaq́ue functuros: ius cuique ſuum æquabili iuſtitia tributuros, nemini vim illaturos: dona à quoquam nulla captaturos: Regi patriæq́ue fidem omnem atque obſeruantiam præſtituros, clandeſtinis cõſiliis, vllisue proditionibus neutiquam aſſenſum præbituros, aliaq́ue huiuſmodi permulta; quo ritu multum temporis abſumitur: adiuratione peracta, Cenſor, vt regis perſonam gerens, candidatos alloquitur, Loitios eos, traditis inſignibus, & collato honoris gradu, adpellat; pòſt tùm ipſe, tùm reliqui, qui adſunt, Loitij omnes, illos amplectuntur: ſollenni inde ordine ex aula proceditur; æs campanum vrbe tota exauditur; tormentorum machinæ diſploduntur, idq́ue, ſat longo tempore; Loitij recens creati, magna comitante populi multitudine, tota vrbe, hoc ordine circumducuntur. Præcedunt pompam milites ingenti numero cum tympanis, tubis, aliisq́ue muſicis inſtrumentis: hos ſequuntur ſceptrigeri, alijq́ue id genus: ſceptrigerorum veſtigiis inſiſtunt Loitij, aut equites, aut ſe-*

*dili-*

dilibus concinna dispositione, gestati: tùm incedunt susceptores & arbitri initiationis, quibus recens creati Loitÿ, sollennibus induti vestimentis, eleganter elaboratis succedunt, albis in equis, sericis aut acupictis tapetibus insigniter stratis: transuersè quisque super humeros expansam gestant fasciam subsericam vndulatam, capitiq; impositum pileum, duabus tæniis dependẽtibus, instar earum, quas ab Episcoporum mitris pendere videmus: eas gestare nemini licet, præterquam tribus illis, de quibus dixi, Loitiorum generibus. In pileis visuntur duo ramuli aurei, aut argentei inaurati, palmarum ramis similes. Præferuntur nouis Loitiis panni sex holoserici, à quatuor singuli hominibus, quibus inscripta est aureis literis probatio publica eruditionis recentium Loitiorum, & in quo disciplinarum genere suum quisque honoris gradum sit adeptus, titulus cuique propterea attributus, aliáque complura, quæ breuitatis studio omitto. Totis enim octo horis hæc sollennitas perdurat. Oppidani omnes hunc diem festũ habent, opificia, negotiaq; omnia

*intermittunt, choreis oblectantur, aliaq́ue festæ lætitiæ signa edunt. Nobilitas tres aut quatuor cõtinuos dies festiuos agitat, splendida conuiuia celebrat, ad ea recens creatos Loitios inuitat, ad hilaritatem eos prouocat, amicitiam eorum & fauorem pro se suisq́ue sedulò ambit. Ab eo die ad munia cuiusuis generis publica, magistratusq́ue obeundos, idonei habentur: In Regiam itaque contendunt, eos occasione data petituri; Insignia collatæ dignitatis eò secum deferunt, quò ab aliis internoscantur. Magno, igitur, passim, dum in itinere sunt, honore afficiuntur; regiis in diuersoriis, ad excipiendos huiusmodi homines, per cuncta humano cultui opportuna loca, destinatis, magnificè tractantur. Nec minor in eos Præsidis & Adsessorum supremi consilij Regij humanitas, insigni verborum honore, multisq́ue laudibus cumulata: qui, cùm ab aduentantibus domi inuisuntur atque salutantur, spondent, prima quaque occasione, se nouos illos nobiles, ad honesta munera prouecturos, pro cuiusque eruditione, è publicæ explorationis actis ad senatum missis, cognita:*

*insu-*

*insuper, si primitùs oblatam functionem dextrè & laudabiliter obeant, ad maiores indies dignitates & honores eos productum iri repromittunt: In indicibus deinde suis nomina eorum adnotant: noui verò Loitij, interim senatoribus præstò sunt, comitãtur in Aulam euntes: aliisq; obsequiis demerentur, donec procurationes aliquæ, aut munera publica sibi deferantur, quod quidem diu non differtur, cùm regnum hoc tantæ sit amplitudinis, & tot prouincias, totq; vrbes habeat, vtì ex historia nostra manifestum est.*

## Quòd machinæ tormentorum æneæ multò antè apud Chinas, quàm apud Europæas gentes in vsu fuerint.

### CAP. XV.

*INter alia admiratione digna (quorum in hac historia mentio & hactenus facta est, & in posterum fiet, ne dicam de ijs, quæ breuitatis studio, & molestiæ vitãdæ caussã*

*lectoribus haud obtrudo ) Lusitani, cū primùm Cantone negotiari inciperent, Hispaniq; Castellani, qui diu pòst è Philippinis Insulis in Chinam venerunt, nulla re magis (neq; id quidem iniuria) obstupuére, quàm visis apud Chinas æneis tormentorum machinis. Nam cùm Chinarum nostrorumq́; annaleis ad calculum reuocarent, manifestò intellexére, & inuentionem earum, & vsum apud Chinas, longè antiquiorem esse, quàm apud nos in Europa, vbi notum est, anno à nato Seruatore, trigesimo supra mille trecentos, industria Germani cuiusdam, cuius tamen nomen literarum monumentis non proditur, bombardarum ( vt vocant) machinas initium cœpisse. Is itaque (vt & Chinæ dicunt, & oculis subiectum est) non pro inuenti huius autore, sed pro eo, qui id ab aliis acceptum diuulgauerit, habendus est. Nā Chinæ sese primos æreas tormētorum machinas adinuenisse, ysq; apud quos nunc in vsu sunt, communicasse gloriantur, & hanc laudem Vitei primo Regi suo adscribunt, aiuntq́;, à genio quodam è terra exorto, fabricam earum edoctum, atque vsum,*

*sum, contra Tartaros, cum queis belligerabat. Genius hic (quantum & ex narratione & historicis ipsorum monumentis, & ex ipsa artis subtilitate depræhendi potest) humani generis hostis, eiusq; euertendi cupidus fuisse videtur, vtì sanè quotidiana etiam docemur experientia. Atq; hæc eò credibiliora sunt, quia Viteis ille, pro insigni mago apud ipsos habetur, qui herbam eam, cuius primo huius libri capite mentio fit, in horto palatij sui habuerit. Sin ob vetustatem fide indigna existimantur: pro certissimo tamen haberi debet; Chinas, tùm cùm Peguanum Regnum, Indiamq; Orientalem expugnatum irent (quod annis ab hinc tribus & quingentis factum est) bombardis eo bello vsos esse: cuius rei euidentia monumenta atque indicia supersunt; quædam scilicet tormentorum æreorum machinæ, ab ipsis post victoriam de hostibus partam, illic relictæ, atque ab Lusitanis visæ, in quibus insignia Regni Chinarum, numerúsque anni, quo victoriam obtinuerant, exsculpta visuntur: inaudiui item, vnam ex illis machinis,*

*quam Herrada, ſociiq́; viderunt, vetuſtam admodum fuiſſe, & rudi opere, reliquarum maximam partem ſaxeos in globos commutatam: cæterùm intellexiſſe eos in aliis Regni locis, accuratiùs quaſdam, politiusq́; fabrefactas reperiri. Sed plura de his ductor militum Artieda, narrare poteſt, qui in literis, ad potentiſſimum Regem noſtrum datis, inter alia ſcribit: Chinas, omnibus planè iiſdem, quibus nos, armorũ generibus vti, & æneas æquè habere tormẽtorum machinas, opere noſtris nihilò inferiores, imò, id quibuſdam in locis docente experientia, è materia præſtantiore & commodiore fabricatas: in ſingulis vrbibus, peculiarem domum earum fabricæ deſtinatam conſpici: cumq́; arces ipſis nullæ ſint, ſuper omnibus vrbium portis machinas eas eſſe collocatas, atque cùm vrbes mœnibus robuſtiſſimis, profundisq́; foſſis, quæ ſi neceſſitas poſtulet, immiſſa è proximis fluminibus aqua repleri poſſint, vndiquaque cingantur, tutiſſimas eas vniuerſi Chinarum Regni munitiones exiſtimari, præſertim cùm ſingulis portis ſuus cum numeroſa manu præpoſitus ſit mi-*

*litum*

*litum tribunus, qui nocturnis eas, diurnisq; seruet excubiis, extraneumq; neminem, sine expresso oppidani magistratus permissu, intromittat. Atque hæc, mea quidem opinione confirmare vtique videntur, æneas tormentorum machinas, Chinis non antiquitus solùm notas, sed ab ipsis etiam primùm repertas fuisse, vt antè dixi; cùm etiam Chalcographiam initium ibi sumpsisse clarum sit; quamuis ab hoc artificio oppidò discrepantem, operibusq; planè diuersis occupatam, de cuius vetustate proximo capite agere pergemus.*

## Quantò ars æneis typorum formis libros excudendi, apud Chinas antiquior sit, quàm apud Europæos.

### CAP. XVI.

*ADmirabilis Chalcographiæ adinuentio tantæ subtilitatis est, atque artificij, vt per eam memoria tot præstantissimorum virorum, qui fœlici antiquorum temporum æuo floruêre, conseruata sit, quæ procul du-*

*bio abſque eius adminiculo planè extincta fuiſſet; multi quoque hodiè inter mortaleis degentium, neutiquam, vel ex inclytarum artium, vel è rei bellicæ tractatione, tantoperè ad laudem gloriamq́; adſpirarent, niſi typographiæ beneficio, memoriam ſtudiorum ſuorum, vita ſua diutius manſuram eſſe ſperarent. Sed de inuentione artis & vſu plura dicere, vitandæ prolixitatis cauſſâ ſuperſedeo, idq́; hoc capite deſcribam, quod ſuprà me facturum dixeram, ſubinde quædam, inter multa, alicuius momenti exempla referens, & in Chinarum, & in noſtris annalibus conſignata. Communis opinio eſt, artem typis æneis excudendi libros, adinuentam eſſe in Europa, Anno à partu virgineo M. CCCC. LIIX. ſolertia Germani cuiuſdam, cui Ioanni Gutenbergio nomen erat; cumq́; primæ literarum formæ Moguntiaci factæ eſſent, ab alio quodam Germano (qui Conradus vocabatur) artem ad Italos delatam. Sed Chinæ aiunt, à ſe artem hanc originem trahere, & excogitatam eſſe à quodam, quem ipſi pro diuo colunt; cùmq́; maiores ſui per Rhoxolanos*

*&*

& Moschos, opportunos Europææ terrestri negotiationi populos, in Germaniam vsque, negotiorum caussâ penetrassent, artis eò notitiam deuenisse: mercatores prætereà quosdam Germanos, cùm per mare Erythræum & Arabas in Chinam venissent, aliquot inde apud se typis expressos libros in Germaniam detulisse; eos postea in Ioannis Gutenbergij, qui artis inuẽtor existimetur, manus peruenisse, Gutenbergium porrò eam ex illorum aspectu hausisse cognitionem, quam aliis demum communicârit. Hæc si vera sunt, vt quidem in scriptis apud ipsos fide dignis exponuntur, necessariò sequitur, typographicam artem ab ipsis ad nos peruenisse, eóque magis, quod hodiéque multos Chalcographicis formis expressos libros in China reperiri constat, qui (secundum nostram putationem) quingentis antè annis illic excusi fuerint, quàm artificium hoc apud Germanos cœperit.

Horum ego librorum vnum habeo, multos in India, Hispania, Italiaq; vidi, quorũ

ali-

*aliquot Herrada ſacer Auguſtinianæ familiæ cœnobiorũ Coryphæus Auchieonis emit, ſecumq; in Philippinas Inſulas detulit, plus minus centum, variis de rebus tractantes, & diuerſis regni locis, pleroſque tamen in Ochiamia prouincia excuſos, in qua maximus eſt Chalcographorum numerus; pluresq; ſecũ, vt ipſe ait, inde abſtuliſſet, quod libri illic & bibliothecæ ingenteis, viliſsimo pretio coëmantur, niſi Prorex interdixiſſet, veritus fortè, ne ex ijs Regni arcana expiſcaretur, quæ omni ratione peregrinos celant. Quamobrem Herradæ, eiusq; ſocijs denunciari iuſſerat; nullos libros emerent, ſeſe quos vellent, dono ipſis daturum: ſed id poſteà minimè fecit, aut ea, quam dixi, de cauſſa, aut obliuione. Eorum, quos iam ante proregis interdictum emerant, circiter centum, vt dixi, erant, è quibus breuiter pleraque eorum excerpta ſunt, quæ breui hac hiſtoria deſcribuntur, eò tantùm, vt qualiscunque de regno Chinarum expoſitio cõcinnetur, donec homines huiuſmodi rerum capaces, ad ea credẽdum animos inducant, quæ, hoc tempore, quòd obſcuriora adhuc,*

*pa-*

*parumq́; explorata ſint, explicari facilè nequeunt; qua ratione adductus, imò coactus ſum, multa, quæ pro veriſsimis habentur, vt præterirem, non ſine reprehenſione tamẽ multorum, quib. ea ſatis ſuperq́; nota ſunt. Sed, cùm locus hoc exigat, ſequenti capite narrabo, quasnam libri illi materias ſcribant, vt ijs, quæ ſæpiuſculè iam dixi, & porrò, vbi opportunum fuerit, de republica diligentiaq́; huius nationis ſum dicturus, tantò maior fides adhibeatur.*

## DE LIBRIS, QVOS P. Herrada, eiuſq; comites è China attulerunt, & quasnam illi materias ſcribant.

### CAP. XVII.

*CEntum libris à P. Herrada eiusq́; comitibus, è China in Philippinas Inſulas allatis, ſequenteis materiæ explicatæ cõtinentur.*

*Deſcriptio totius Regni Chinarum, ſitus quindecim eius prouinciarum, longitudinis earum, & latitudinis, & quibusnam Regnis ſint finitimæ.*

*De*

*De vectigalibus reditibusq; regijs, totiusq; aulæ ordinatione: legitimis item salarijs, nominibusq; omnium officiorum, & cuiusque potestate: & quibus cuiusque officij potestas finibus circumscribatur.*

*De tributarijs, seu stipendiarijs; item de numero immunium, in singulis prouinciis: &, quando ac quomodo vectigalia Regia exigantur.*

*De varij generis nauibus construendis, & de nauigatione; item de profunditate, & reliquo situ portuum.*

*De initio & vetustate Regni Chinarum; de origine mundi; quando & à quo mundus sit conditus.*

*De Regibus Chinarum, & mutua eorum successione; gubernatione item, vita & moribus singulorum.*

*De cærimonijs, ad idolorum, quæ pro numinibus à Chinis coluntur, sacrificia adhibendis; de nominibus item & ortu singulorum, & quo tempore litandum sit.*

*Quid de æternitate animorum, de cælo & inferis Chinæ sentiant, quibus ritibus mortuos terræ mandent, eisq; exequias celebrent;*

lebrent; de feralibus ſeu lugubribus veſtimentis, à quolibet pro ratione neceſsitudinis, qua mortuo deuinctus eſt, induendis.

De legibus & conſtitutionibus Regni Chinarum, quando & à quo promulgatæ; quæ pœnæ ſingulis additæ ſint, in violatores earum ſtatuendæ; de aliis itidem rebus, ad ritè ordinandam Rempublicam neceſſariis.

Multi prætereà libri de herbis ad medicinam facientibus, & ratione, eas ad infirmorum ſalutem & ſanitatem recuperandam adhibendi, agunt.

Alij porrò multi de re medica libri, recẽtium, veterumq; apud Chinas autorum, præcepta reſtituendæ, regendæq; valetudinis tradunt.

De motu & numero cœlorum, & ſiderum errantium, de ſtellis, earumq; effectis & viribus peculiaribus.

De omnibus Regnis, quæ Chinis ſunt cognita, & quid in ſingulis eorum memorabile reperiatur.

De diuorum apud Chinas vita, rebus geſtis, obitu, & ſepulchris.

*De lusu talorum & latrunculorum, aliisq; ludis gesticulariis.*

*De Musica, & cantu, eiusq; inuentore.*

*De Mathesi; & Arithmetica, eiusq; Regulis.*

*Quid in vtero fœtus agat, quis eius ibi status, quæ singulis mensibus vitæ conditio, qui menses partui fœlices, qui improsperi sint.*

*De Architectura, variisq; ædificandi generibus, & dimensionibus latitudinis & longitudinis domuum & structurarum, ad æquam earum inter se proportionem dirigendis.*

*De constitutione soli feracis, & infrugiferi, signisq;, quibus quodlibet solum, sterile an felix sit, cognosci debeat, & ad quodnam frugum genus producendum, quæuis terra sit idonea.*

*De sciẽtia siderum, & Astrologia, quam vocant Iudiciariam, & canonibus in addiscenda ea obseruandis, thematibusq; constituendis.*

*De Chiromantia, & Physiognomia, aliisq; artibus, quæ è notis diuinant; & quid qualibet nota significet.* De

*De ſtylo, & ratione benè ſcribendi, & titulis, cuique pro munere & dignitate ſua, tribuendis.*

*De educandis, alendis, & ad curſum, inceſſumq́; inſtituendis equis.*

*Quomodo è notis ſit diuinandum; quomodo ſorteis mittendæ, ſi aut iter aliquod faciendum, aut aliud quid, cuius dubius timeatur euentus, incœptandum ſit.*

*De veſtibus & ornamentis omnium totius Regni populorum, potiſſimùm Regis, & de ornatu atque inſignibus magiſtratuum.*

*De conficiendis armis inſtrumentíſque bellicis, acieq́; in campo ordinanda.*

*Hos, aliosq́; plureis libros, ij, quos diximus, viri ſacrati è China attulerunt, & ex illis ea quæ in hac hiſtoria recenſentur, ſunt excerpta, ab interpretibus ex ipſa China oriundis, qui in Philippinis Inſulis ab Hiſpanis, earum cultoribus, educati ſunt.*

## De conuiuiorum feſtorumq́; celebratione apud Chinas.

## CAP. XVIII.

*Cum aliquot huius historiæ locis, de cõuiuiorum apud Chinas adparatibus, mentionem fecerim; æquum me facturum esse iudico, si indicem, quibus illi ritibus cõuiuia celebrent, quoniam singulareis sunt, atque à nostrarum epularum & symposiorum institutis longè diuersi, non ob edulia solùm, quibus vesci solent, sed ob cæteros etiam moreis. Natio hæc, omnium totius orbis gentium, in epularum luxum effusissima est. Cùm enim diuitiis & ocio adeò abundet, neque veri numinis cognitione sit illustrata (quantumuis immortalitatem animorum, vti audiuimus, credat & fateatur, quemuis item ex hoc, in sempiternum illud æuum discedentem, pro merito præmiis, pœnisue affectum iri statuat) omnibus voluptatibus, cunctisq; quas excogitare modò potest, deliciarum illecebris, totam sese dedit, & cõtinenter eis, copiosissimeq; fruitur. Totidem Chinæ adparare solent mensas, siue tabulas, quot cõuiuas inuitarint, etiamsi eorum vel centum adduxerint: hæ eleganter inauratæ, & auibus feris, ac vario florum,*

rum, frondiumq́ implexu, atque alio ornatu, ad multam spectantium iucunditatem, picturatæ & excultæ sunt; neque mappis eas contegunt, sed ornamentis tantùm quibusdam margines earum circumdant, ad terram vsque dependentibus: in angulis mensarum, multa canistra, aureis artificosè clathrata filis, collocant, florum, & hypotrimmatum, varia forma perquàm artificiosè efficτorum plena, cuiusmodi sunt elephantes, canes, cerui, è saccharo facti, aliaq́ id genus animantia, variæq́ aueis, inaurata, picturataq́ omnia. Fercula concinno ordine mensis adponunt, siue auibus, siue carnibus, siue piscibus structa, cuncta aromatibus præstantissimis condita, cum diuersis iusculis coactis, & intinctibus: alijs vasis non vtuntur, quàm fictilibus porcellanis tenerrimis, & argenteis, hæc tamen apud paucos, extra Proreges, in vsu habentur: eleganter adeò atque mundè epulantur, vt mantilibus aut mappulis parùm opus habeant.

Cibos enim aliter non attrectāt, nisi inauratis quibusdam aut aureis & argen-

*teis bacillis, loco nostrarum fuscinularum; ea inter edendum adhibita cura & attentione, vtì cibos, quantumuis tenues & minutos, aliter non nisi bacillo capiant, caueantq; ne quid decidat: parùm sed sæpè bibunt, è cyathis perexiguis: omnibus conuiuiis fœminas aliquot adhibent, hilaritatis ergò, quæ cantu, salibus, argutiis, risum excitent, & conuiuas oblectent, musicos item alios, diuersis ludenteis instrumentis, saltatores & comœdos, scitos apprimè fabularũ actores. Vno conuiuio maximam diei partem consumunt, ob varietatem multitudinemq; missuum, eò interdum splendidiorum, quò maior est conuiuæ & conuiuatoris dignatio (vt videre est in descriptione itineris sodalium, religiosæ familiæ Augustinianæ, in secunda historiæ nostræ parte, vbi mentio fit conuiuij, quo excepti illi sunt à præside Chinchiensi, & prorege Auchieonio) & ludicra iocáque epulis interposita. Vni conuiuæ multas adponunt mensas, continuas, quò numerum conuiuarum pro cuiusq; conditione discernant. In prima mensa, cui hospes adsidet, cocta fercula collocant,*
&

& hypotrimmata, panemq́ʒ sacchariten, loco bellariorum, cæteris sequentibus mensis omnibus diuersos imponunt cibos crudos, caponum, pullastrorum, anatum, gallinarum, frusta salitæ bubulæ, aliáque edulia, quæ de mensa non tolluntur, donec, finitis epulis, conuiuæ discedant; tum demum conuiuatorum famuli discedentibus conuiuis, ad ipsorum vsqʒ ædeis incoctas dapes anteferunt, ibiq́ʒ posteà omnes multis cum cærimoniis relinquunt. Ad epulum proregibus aut legatis Regis præbitum, tantum pomposæ magnificētiæ adhibetur, tantum in id sumptuum effunditur, vt conuiuatoris fortunarum magna pars huiusmodi profusione pereat. Continuis enim viginti diebus agitari, idemq́ʒ epularum & adparatuum omnium, vltimi diei, qui primi fuerat, splēdor & ornatus esse solet. Festa, feriasq́ʒ suas omnes noctu ad interluniū celebrant, multis cum modulis & concentibus musicis, alisq́ʒ inuentis periucundis: primus præsertim anni dies ipsis adeò festiuus est, qui, ipsorum more, primus est dies interlunij, mense Martio. Eo die perquàm splendidè mares

 vesti-

*vestiuntur, fœminæ monilibus suis, nouo habitu excoluntur, domus & ianuæ tapetibus, pannis sericis, variisq; telis aureis exornantur, & floribus ac rosis, quibus tùm temporis scatet regio, consternuntur. Præ singulis foribus pluscula ingentes arbores plantantur, à quibus tùm multa suspenduntur lumina: arcus triumphales, quorum, vt dixi, magna per vias passim est multitudo, frondibus & viridi gramine conuestiuntur, faces ad illos, vmbellæ Damascenæ, aliusq; generis sericæ telæ adpenduntur. Festiuitatibus hisce intersunt sacerdotes, magnificis vestibus induti; hi, in altaribus cœli, aliorumq; inanium suorum numinum sacra faciunt, multas accinunt cantilenas: vniuersa denique gens eo die lætitiam & hilaritatem suam, cantu, fistulis, multipliciumq; organorum musicorum suauissimo concētu attestatur. Illi, quos nominauimus religiosæ familiæ sodaleis confirmarunt, se vidisse illic panduras maiores minoresq;, psalteriam, fidiculas, buccinas, clauichordia (quæ vocantur) lyras, tibias, aliaq; musica instrumēta, in nostrū morem,*

*&,*

*&, quamuis forma materieq́ à nostris diuersa videantur, pulchrè tamen posse singula internosci. Harmoniam vocum ad instrumentorum modulos, mirificè, concentu perquàm suaui, reducere callent, sonorumq́ dulcium pleraque genera habent. Per sollenneis hosce dies multa eduntur spectacula, multæ aguntur comœdiæ, visentibus iucundissimæ, atq́ è vestium, & reliquo conuenienti adparatu haud difficulter agnoscendæ. Interim dum hæc actitantur, adstant mensæ, diuersis piscium, carniúmque eduliis, pomis fructibusq́ varijs, vino item suaui è dactylis confecto, immixtis alijs liquoribus, sapore illud, odoreq́ gratissimum reddentibus, onustæ. Toto eo die epulis & cõpotationibus, quantum possunt, tàm prophani, quàm sacricolæ, indulgent, & hoc omninò sibi psuasum habent; ita sese omnem reliquum annum prosperè, aut infæliciter traducturos esse, prout diem eius primum transegerint. Hæc aũt nolo intelligi de ferijs, aut Diuorũ apud ipsos memoriæ sacris, aut tunc, cùm negotia q̃piam illis è voto cesserint, sollẽnibus, ne æquo sim plixior;*

*quamuis & horum permulta ſint. Hi enim homines ſumma animi contentione, totisq́; viribus triſtitiam omnem fugiunt.*

## De mutuis ſalutationibus Chinarum, & tùm vſitatis apud ipſos geſtibus.

### CAP. XIX.

*NVlla hactenus, toto terrarum orbe, quæ quidem cognita ſit, natio, earum etiam, quæ feriſsimæ & intractabiles habentur, reperta eſt, quæ nō ſuo quodam more, ciuilitatis quidpiam vſurpet, comeisq́; mutuò in congreſsibus & colloquijs, aut alijs tractandis negocijs, & honorificas ſalutationeis adhibeat, quod & olim factum, vetera hiſtoriarum monumenta, & apud eos, qui noſtra ætate innotuerunt, populos, hodiéque fieri, eorum quæ viſa illic & audita ſunt, experientia ſatis ſuperq́; teſtatur. Ego verò hac in re, Chinas omnibus alijs totius orbis gentibus ſuperiores eſſe, pro certo habeo, confirmantibus omnibus ijs, qui id ita ſe habere, ipſimet ſunt experti, totq́; vti eos cæri-*

*cærimonijs, honorificisq́ gestibus: vt integris etiam libris conscripserint præcepta ciuilitatis morum, quibus erga cuiusuis conditionis hemineis vtendum sit. Horum ego quosdam, vt ad propositum meum, & ad probationem eorum, quæ à me allata sunt, pertinere visos, ex omni numero excerptos, eadem tamen breuitate, quam huc vsque in succincta hac historica descriptione obseruaui, commemorabo. Inciuilitatis summæ esse Chinæ putant, in occursu congressúue, etiam parùm inter se notos, mutuò sese non salutare. Vulgus salutandi hunc ritum obtinet; Alter alteri obuius, sinistram manũ clausam, dextra operit, deinde vtrasq́ manus vnà pectori adprimit: multaq́ inclinatione capitis, indicat, tàm benè obuio huic sese cupere, quàm arctè manus inter se sint occlusæ, beneuolentiamq́ istam non in externis solùm gestibus consistere, sed in intimo etiã pectore inhærescere, multis in eam sententiam, interim dum manus hoc modo implicat, additis dictis phaleratis. Proceribus & aulicis alius mos est, isq́ priore ciuilior habetur; & talis est: Obuij inter se, vtriq́ con-*

 *sistunt,*

*ſiſtunt, & diſpanſis ambobus brachiis, digitos manusq́; mutuò implicant, in arcus formam incuruatos; ſæpius ac ſæpius intereà ſeſe inflectunt, mutuò ſalutantium honorifico certamine, vter vtrum præcedere debeat: quoq́; nobiliores illi ſunt, tantò diutius his moribus inter ſeſe contendunt. Plebeius, vbi quempiam in via, primariæ notæ virum, conſpexerit, in veſtigio conſiſtit, tacitusq́; inclinato capite expectat, dum ille tranſierit: tametſi maxima vulgi pars, id, non tàm vrbanitate, quàm metu pœnæ faciat. Huius enim moris negligentes, continuò cunctos atrocibus & diris verberibus mulctari, experientia docuit. Si quis è plebe, Loitium aliquem fortè alloqui velit; vbi in eius conclaue eſt ingreſſus, in genua ſtatim ſubſidet, & inclinato, ad terrámque deiecto capite, genibus nixus, in medium conclaue pergit, ibi defixus, quid petat, demiſſiſſimè, ſermone aut ſcripto explicat: reſponſo accepto, eodem, quo ingreſſus fuerat, modo, genibus egreditur, cauet tamen, ne Loitio tergum obuertat, donec è conclaui diſceſſerit. Si quis honore*

*ſibi*

*ſibi & autoritate parem inuiſit, frequentibus & decoris inclinationibus inuicem ſeſe honorant, & cærimonioſis geſtibus alter alterum ſuperare conatur, quibus multum temporis & verborum perditur. Si amicus amicum inuiſat, is, qui interpellatus eſt, eum qui interpellarat, domum redeuntem, in viam vſque honoris cauſſà, deducit. Sed hoc oppidani potius, eius denique vrbis incolæ, conditione pareis, factitare conſuêrunt, quàm cætera hominum turba. Si aliunde aduentans quiſpiam amicum in vrbe, aut municipio interuiſat, aut vocatus, hominis ædes ingrediatur, aut fortè in vico ei occurrat: oppidanus ille, ſi fors tenuiori veſte indutus ſit, adeuntem & adloquentem aduenam, tametſi etiam conſanguineum, aut veterem familiarem ſuum, ne vno quidem verbulo excipit, ſeque vidiſſe ipſum, aut vnquam nouiſſe, omninò diſsimulat, confeſtim in ſuas ædeis reuertitur, veſtes quas habet ſplendidiſsimas, depoſitis prioribus, induit: Tùm demum progreditur, hoſpitem compellaturus, multis ei*

*habi-*

*habitis honoribus, perinde ac si paulò antè ille in ædibus eius nō fuisset, aut domi ipsum quæritasset. Mos hic apud Chinas constanter obseruatur, quippe à maioribus profectus, & inter religionis mysteria habitus. In peregrinos mirè hospitaleis Chinæ sunt, aduentantibusq́, statim bellaria multiplicium hypotrimmatum & fructuū, vinum item, aut aliud quoddam potionis genus, populis hisce admodum familiare, è præstātibus quibusdam magni in re medica vsus, herbis confectum (quod non, nisi calidum bibitur) adponunt. Eosdem etiam inter se vicini mores seruant: si cui incolarum fortè conterraneus aliquis occurrat, qui à patria aliquandiu abfuerit, alter nouum hospitem rogat, cibum sumpserit, nec ne. Si comedisse se negat, in proximum eum introducit diuersorium, & adparari iubet aduentitium conuiuium sanè quàm opiparum, quod quidem facilè potest fieri, cùm oppida, vrbes, suburbia, cuncta denique hominum habitationi accommoda loca, huiusmodi cauponis sint frequentia, in quibus leui precio delicatè epulari liceat, ob cibariorum omnium*

*vili-*

*vilitatem, cuius ſuprà memini. Sin ille aliunde rediens popularis, ediſſe ſe dicat, in aliam tabernam, in qua hypotrimmata, fructus, aliaq́ huiuſmodi penuaria venduntur, adductum eum, lauto tragematum adparatu, multisq́ editis amoris & beneuolentiæ ſignis, amicus exhilarat. Muliebrem ſexum, cuiuſcunque qualibet conditionis ſit, tàm alienigenas, quàm indigenas, in honore magno habent, maritas inprimis, adeò, vt qui erga aliquas ex illis turpe quidpiam effutierit, aut obuiam factis nihil honoris exhibuerit, aut prætereuntibus via non deceſſerit, infamis habeatur; quamuis adeò raro, adeò inſigni modeſtiæ cura habita, in publico conſpiciantur, vt vel ob hoc ipſum, omni cultu & honore dignæ videri poßint. Chinæ, præſertim nobiles, erga exteros percomeis atque officioſi ſunt, vt apparet ex itinerario Auguſtiniani inſtituti religioſorum, qui hoc ipſimet ſunt experti.*

## De honeſtate & diſciplina mulierum, & quibus conditionibus tolerent impudicas.

*Cap.*

## CAP. XX.

*Reges, magiſtratúsque huius Regni, omni cogitatione, cura, ſollicitudine & diligentia in id incumbunt (quemadmodum è legibus ipſorum conſtat) vtì omne flagitiorum genus è regionibus ſuis exterminetur, quam ob rem, cunctis, quibus poſſunt, rationibus, & modis, ea extirpare conantur, & ſceleratos, nulla planè data venia, ſeuerè coërcent; quæ res facit, vt incolæ harum terrarum omnes, ſummo ſtudio caueant, ne quid reprehenſione aut pœna dignum perpetrent. Cúmque inter alia, mulierum impudicitia & petulantia, rempublicam, quantumuis benè conſtitutam facilè peſſumdet atque euertat, optimis legibus & decretis huic ſcelerum labi aduerſantibus, tantum malum ingenti labore præcauent: adeò vt vetuſtum hoc, ampliſsimumq́; Imperium alijs recentioribus minoribúsque Regnis hac in parte minus damni fecerit. Mulieris enim impudicæ & laſciuæ nomen tota vrbe facilè innoteſcit, quamuis raro in publico conſpectæ. Inter alia hac de re Chinarum*

*pla-*

*placita, istuc etiam est, quo parentibus disertè præcipitur, vt filias, quamprimùm per earum ætatem, & paulò constantius iudicium licuerit, domi inclusas, atque secretas contineant, & ad honestas occupationes atque negotia instituant, ne vllus ignauiæ, scelerum omnium parenti, apud ipsas locus relinquatur. Hac lege nuptæ etiam alligantur, arctè adeò custodita, vt ne Proregum quidem, & præsidum, imò ne ipsius quidem Regis vxoribus & filiabus eius gratiam fieri fama sit, sed continenter eas aurum, sericum, linum nendo, aliisue operis manuariis diem transigere; ita vt ignauæ, laborumq́ fugientes summo in contemptu infamiaq́ vitam degant. Iuuenculæ itaque filiæ, his moribus educatæ atque innutritæ, matrum insuper honestis perpetuò negotiis occupatarum positis ob oculos exemplis incitatæ, omnem, vel de malis solùm cogitandi, occasionem amittunt; adeò, vt hæc nunquam satis laudata honestissimáque consuetudo apud eas in naturã iam abierit. Vnde sexus muliebris harum regionũ summis in molestÿs oneribusq́*

*duce-*

*duceret, si ocium agitare cogeretur. Continua isthæc & spontanea adsiduitas, eas vsque adeò in officio continet, vt in publico aut è fenestra prospectantem honoratæ conditionis fœminam adspicere, nouum, planeq́ʒ monstrum videatur: Viuunt enim mulieres honestissimè. Sin contingat, vt alicui earum necessariam quampiam ob caussam, vt, ob morbum, aut mortem parentum, aut alia huiusmodi (aliàs enim mutuò sese interuisere ipsarum moribus haud est receptum) ædibus exeundum sit, lecticis occlusæ, neminiq́ʒ conspiciendæ gestantur, vt alibi diximus. Meretrices ideò tolerant, vt hac permissione, cæterarum mulierum pudicitia illæsa conseruetur, grauioraq́ʒ mala, in vrbibus aliàs cooritura, auertantur; ita tamen, ne probis & pudicis quicquam inde detrimenti inferatur. In suburbijs enim scorta degunt, à ciuium conspectu, vrbisq́ʒ domicilio exclusa, ea lege atq́ʒ omine, ne extra prostibulorum peculiariter ad hoc destinatorum limina pedem vnquam efferant; néue, ni capite puniri velint, in oppidum ventitent: atque, inter alia, meretrices tàm*

*abie-*

*abiectæ ſunt, vt plerunque proletarijs, aut mancipijs natæ, aut peregrinæ ſint, aut à matribus in ipſis cunis, ad turpitudinem hanc ſubeundam, diuenditæ, quæ perpetuæ duriſſimæq; ſeruitutis ſpecies, Chinis admodum frequens eſt, vt pauperibus viduis, quæ non habent, vnde viuant, liberos ſuos vendere liceat, quorum ſeruitus non niſi morte terminatur: fœdaq; hæc conſuetudo, tàm altas toto regno radices egit, vt, multos illic negotiatores repias, qui maximam fortunarum ſuarum ſummam in huiuſmodi mercatione collocatam habeant. Emunt enim puellas, ſedulò educant, pſallere, muſicisq; inſtrumentis ſcitè ludere docent, laſciuisq; aliis moribus imbuũt; nubileis factas, in lupanaria contrudunt, quorum ſuprà meminimus. Primo die proſtitutionis, eas ad quendam, cum poteſtate omnibus alicuius vrbis proſtibulis à Rege præpoſitum, adducunt; is earum patrocinium ſuſcipit, cauetq; ne quid turbæ eam ob rem oboriatur. Elapſo eo die, præfectus hic in eas nihil amplius iuris habet, præterquàm quòd ſingulis menſibus ſemel ad ſcortum in lupanar itat,*

*& pensitationem tantam exigit, quantam & eius, à quo in id loci coniecta est, & ipsius scorti consensu, prostitutæ illi imposuerat, ob sumptus scilicet eousque à negotiatore, cùm in emendam, tùm in educandam, atque in eo vitæ genere erudiendam puellam factos. Mulierculæ hæ festiuæ blandæq; sunt, cantant ludūtq; suauiter, vestiuntur elegāter, colorē fuco mentiuntur. Multæ inter eas oculis captæ fœminæ sunt, liberis parentibus natæ: hæ comuntur & pigmētis inficiuntur, à cæteris, quib. integer visus, maximaq; florentis ætatis pars in lustris hisce transacta est; neque quoad viuunt, è septis istis audent excedere, edicto scilicet publico phibitæ, metuentib. Chinis, ne turpitudine sua aliquid damni dent. Quidquid vltra preciū, quod nutriciis illis, de quibus diximus, suis, pendūt, vulgato corpore merētur, id omne præfecto ei, cuius mentionem feci, exponunt. Is diligēter totū eum quæstū custodit, & quotannis, accepti Censoribus rationē fert. Postea vetulis iam meretricibus lucrū illud parcè atque demensum redditur, quò scilicet, si sors ita ferat, vitā tolerent, neu extremè fa-*

*me*

me laborent, quod si fortè acciderit, aut tantum eis stipendium præbetur, quo alantur, aut in ptochotrophia egenorum debilium, quos Rex suis reditibus, vt suprà indicauimus, sustentat, recipiuntur. Pueri à matrib. egestate preßis venditi, ad opificia discendũ adhibentur, quæ vbi perdidicerint, institutori aut domino suo artifici, ad certũ tẽpus operas suas addicere coguntur; eo elapso, herum opificem non solùm libertatem ipsis restituere, sed etiam vxoreis conciliare, & cõditiones quærere, ad tecta laresq; comparãdos auxiliareis manus porrigere, quî victũ parent, viam atque rationem idoneã ostendere, necesse est; nisi spontè faciant, à magistratu eò adiguntur. Inuicem tamen isti magistris hisce suis, primo ineuntis cuiusq; anni, aliisq; item certis quibusdam diebus, honoris caußâ, & declarandæ gratitudinis ergò, munera quædam offerunt. Liberi verò ipsorum, sui planè iuris euadunt, neque patronis suorum parentum vlla re sunt deuincti, præterquàm, quòd beneficiorum in hos ab illis collatorum, memoriam retinere debeant.

# De forma nauium, quibus tàm in mari, quàm in fluminibus, Chinæ vtuntur, & quomodo toto anno piſcibus abundent.

## CAP. XXI.

*NAuium & cymbarum, quibus Inſulæ, longitudo Oceani, multaq; magnitudine inſignia, per omneis penè Chinarum regni prouincias decurrentia flumina enauigantur, ingens numerus eſt; neque minor hominum in ipſis nauibus tecta lareisq; habentium multitudo, adeò vt fluuij frequentium oppidorum ſpeciem referant, & æquè, atque terra, habitatoribus pleni exiſtimentur. Perfacilè, leuiq; ſumptu naueis Chinæ conſtruunt, cum lignis, ferro, aliisq; ei rei idoneis materiis abundent. Picis genus habent, noſtro longè tenacius, qua in modum lapidum nauigia indureſcunt: hæc commoditas, & copia hominum, nauiculariæ peritorum, efficiunt, vt tàm varij generis naueis à Chinis ædificentur, quarum cuiuis peculiare*

*culiare nomen est: alteros quoque alteris cedere vtique necesse est, cùm tantam hominum colluuiem terra vix sustineat. Maximæ nauium, quibus longißimæ nauigationes conficiuntur, Giunchi vocantur; quibus si ad bella vti volunt, castellis ad proram & puppim exædificatis maiores faciunt: quod cum orientalibus & Lusitanicis nauibus in Indiam euntibus ipsis commune est. Earum tanta copia est, vt præfectus claßis quispiam intra vnum diem ad sexcentas cogere queat. Onerariæ Giunchis forma & magnitudine penè æqualeis sunt: hoc solo differũt, quòd prora & puppe sunt illis humiliores. Alia habent minora nauigia, nostris catascopijs similia: ea quatuor habent ab vno latere ingẽtes remorum ordines, quorum singuli à sex, aut, ad minimum, à quatuor remigibus aguntur. Apta admodum sunt enauigandis fluminibus vadosioribus, minusq; profundis, incolarum lingua Bancoëns vocantur. Aliæ quædam latiores naues, lanteas ipsi vocant, octo remorum ordines ab vno latere habent, singulos à sex impulsos hominibus. His duobus nauigiorum*

*rum generibus prædones, quorum ingens eo mari copia, potiſsimùm vti cõſueuerunt, ob agilitatem, ad fugam & prælium quoque, ſi res ferat, expeditis. Aliud præterea nauium genus fabricant, longitudine triremibus par, ſed latitudine inſigni; hæ modico etiam flumine feruntur, ad mercimonia hinc inde transuehenda aptæ, quòd agileis ſint, & facili labore, in fluminibus, quà velis, impellantur. Alijs inſuper multiplicibus nauigijs Chinæ abundant, in quorum aliquibus viſuntur pergulæ inauratæ & picturatæ, quomodo eæ potiſsimùm excultæ ſunt, quæ Proregum & magiſtratuum voluptati ſeruiunt. Rex in omnibus prouinciis earum nauium, quæ Giunchi vocantur, ingentem habet claſſem, milite ducibusq; inſtructiſsimam, quæ præſidio ſit nauigijs tùm ipſorummet Chinarum, tùm exterorum finitimorum negotiandi cauſsâ in Chinam traijcientium, vt tutò eò accedant, abeántque, nec à piratis infeſtentur: eadem fluminibus tuendis diligentia adhibetur, quorum cuſtodiæ, eam ob rem perpetuò parones aliquot armati (Breganti-*

*nos*

*nos vocant) præſunt: ac vniuerſo exercitui nauali à rege ſtipendia præbentur. Picis, qua vtuntur (id Giapetz, appellant) magna, vt dixi, paſsim eſt copia; & eſt certa quædam maſſa, è calce & pinguedine piſcis cuiuſdam, quem Vname Chinæ vocant, confecta, non tenax ſolùm, ſed etiam teredinibus parùm obnoxia; vnde vna Chinarum nauis, duabus noſtris durabilior eſt, atque diutius etiam duratura nauigia eſſent, ni obſtaret tenuitas. Antliæ, eorum, & forma à noſtris diuerſæ, & artificio ac vſu ipſis ſunt præferendæ. E multis enim partibus coagmentatæ ſunt, inſtar inſtrumentorum, quibus in irrigandos hortos aquæ deducuntur, in longum intus nauibus adfixæ, ad hauriendum vſque adeò accommodatæ & faciles, vt vir vnicus ſedens, pedibus rotam circumagat, perinde ac ſi ſcalas aſcenderet, ſentinamq́ magnæ nauis (tametſi aqua redundantis) intra horæ vnius quadrantem, totam exhauriat. Multi reperiuntur in nauibus & phaſelis nati atq; educati, qui in ſiccũ pedẽ nunquam tulerint, neq; aliud quidquam*

*opificij didicerint, aut alio modo victum sibi parare nôrint, quàm quem à parentibus haustum & hæreditate relictum accepére; quòd scilicet mercimonia ab vno in alium locum transuehunt, hominesq; ab vna in alteram ripam transportant. Nuptas liberosq; suos eadem in naui secum habent: ita, vt sæpè in vrbem quampiam venientes, vrbsne sit, aut quo locorũ delati sint, ignorent, cũ vrbe nihil indigeant, & in nauigijs animantia diuersi generis, quibus victitẽt, nutriant, cuiusmodi sunt gallinæ, anates, colũbæ volucresq; aliæ. Sunt præterea in nauibus multæ cauponæ, mercatorumq; tabernæ, mercibus raris, preciosis atque exquisitis, refertæ, quas vel in vrbe omnibus rebus instructissima desideres: magna copia serici, succini orientalis, moschi, aliarumq; rerum, superfluarum verius, quàm necessariarum, omnium certè paratu facilium. Marginibus seu extremitatibus nauium, impositæ conspiciuntur testæ, consitæ malis aurantijs, alijsq; fructibus; fictilia item vasa complantata floribus & oleribus quibusdam, esu iuxta atque aspectu periucundis. In media*

*dia naui viuaria habent, & piscium receptacula, quos retibus assiduè capiunt. China enim cunctis, quæ hoc nomine commendari possunt, regionibus, piscosior est, ita vt (quẽadmodum dixi) propter commodam multitudinem nauium, & innumerabilium piscatorum, mare & flumina perpetuò sulcãtium incredibilemq; piscium copiam, retibus, & alijs instrumentis quotidiè capientium, pisces inde à quingentis vsq; milliaribus in viuaria, quorum suprà memini, conuehantur: ea singulis diebus recenti aqua instaurantur, piscesq; omnes, eo, quod naturæ cuiusque conuenit, cibi genere nutriuntur. Ad piscatum menses commodissimi sunt, Februarius, Martius, Aprilis, quãdo fluuij intumuerint: siquidem tùm marini pisces eos intrant, ibiq; oua pariunt, quæ posteà à piscatoribus excipiuntur, hoc artificio victum quæritantibus, & pisceis in ijs, quas in sua quisq; naui habet, piscinis, educantibus. Ad piscatores aliæ deinde naueis è regno aut prouincia ventitant, piscesq; illos emunt, & scirpiculis, seu corbibus è vimine contextis immittunt, quæ ne aqua*

*vſpiam penetret, papyro munitæ ſunt, oleo macerata: indies, vt dixi, recentem aquam piſcibus affundunt, & cibum dant. Paupes, huiuſmodi piſces emere ſolent; eosq́; immittũt ſeptis, q̃ eã ad rẽ domi habere ſolent; ibi ingrãdeſcunt, & palato fiũt acceptiſſimi; paruuli quoq; in foſſas vrbanas (quib. in hoc negotio vt plurimùm vti ſolent) deÿciuntur: in quibus in epulas Proregum, magiſtratuum & purpuratorum adſeruantur, neque cuiquam, niſi ipſorum conſenſu, ibi piſcari licet. Officia palatina, ſeu Primateis, ſæpius animi cauſſâ in fluminibus circumuehuntur, nauibus quibuſdam tectis, conclauiúmque ſplendidè & affabrè, multis concinnè interpoſitis feneſtris, ſuppoſitíſque trudibus, exædificatorum adparatu viſendis. In his illi ſub aulæis & vmbraculis pretioſiſſimis & pulcherrimis, iucunditate ſanè & commoditate perquàm optabili, conſident.*

De

# De mirabili quodam modo, quo anates ingenti numero, minimóque ſumptu Chinæ paſcunt, & de ingenioſa iucundáque ipſorum piſcandi ratione.

## CAP. XXII.

*CVm hoc regnum vſque adeò populoſum ſit, quemadmodum ex hac hiſtoria ſatis intelligitur; neque etiam otioſi ſeu ignaui ferantur atque tolerentur; ingenia vtique paupertate laborantium, neceſſitate, artium omnium inuentrice, coguntur, vt nouis indies artibus excogitatis, victum ſibi parare contendant. At, quòd multi videant, regionem habitatoribus eſſe vndiquaque plenam, & ne palmum quidem agri reperiri, cui ſuus deſit cultor: aquas ipſi, & ingentia flumina ſcrutantur, ſuisq́ in nauibus & cymbis, vt dixi, habitant: in his familiam ſub tuguriis quibuſdam affabrè ſtructis, vt ab iniuriis imbriū, æſtus ac tempeſtatū defendātur, continent. Hîc quoq́ eā quiſq́ exercet artem, ac opificium, quod ſcit, & cuius hæres quaſi à parente relictus eſt,*

*vnde*

*vnde complura apud ipsos huiusmodi inuenta atque artificia sanè admiranda videre licet: inter quæ ex præcipuis vnum est, educatio anatum; quæ tanta totius gentis interest, vt non exiguus indigenarum numerus ea victum quæritare cogatur; quæ sanè stupendo hocce modo instituitur. Caueas quasdam habent ex arundinibus textas, quæ puppim nauigij longitudine æquant, queîs commodè ad quatuor millia anatum includantur: hi quotidiè penè in nidos ad id sigillatim in caueis paratos oua edunt. Is itaque, qui hoc quæstus genere victitat, oua nidis exempta, æstate lætamini bubalino aut etiam anatino (quod præcalidum est) subijcit; cui tamdiu ea subiacere patitur, donec pullos generasse videantur: tùm è fimo sublata singula ordine percudit, & in vnoquoque anaticulam inuenit viuam: ea verò dexteritate ouum pandit, vt vix vnquam pullus aliquis ictu moriatur, non sine spectatorum admiratione, qui tamen parùm frequentes adcurrunt, cùm ars hæc peruetusta, & hosce apud populos vulgò nota sit: cumque huiusmodi industria annuatim quæ-*

*stuo-*

*stuosa admodum sit, & fimus hyberno tempore, externis, vt calefiat, adminiculis indigeat, alio non minus sagaci, & ingenioso, quàm prior ille est, modo, penuriæ huic succurrunt, fimum in storeas quasdam expandunt: huic oua imponunt, oua, stramine, aliaq́ꝫ igneis facilè concipiente materie cooperiunt, eam incendunt, flammamq́ꝫ tamdiu alunt, donec oua calefiãt & pullescant, tùm demum, eadem, qua prius diligentia pullos ex ouis excludunt: tàm fœlici prouentu, vt caueæ anaticulis, instar formicosorum aceruorum, scateant. Eas deinde alias in caueas cogunt, in queîs sunt anates grandiores ad pullos subter alas condendos & fouendos adsuefactæ, donec rostra eorum fiant cornea, & dum ipsimet cibum capere, prata petere, & cum cætero grandiorum anatum grege pastum ire queant. Ac quamuis interdum grex viginti millium numerum excedat, pertenui tamen sumptu, & eadem arte, qua educatæ sunt, nutriuntur, singulis diebus manè, obiecto oryzæ coctæ paululo, quod vbi vix deglutierint, ostium nessotrophÿ, quà versus aquas exitus patet, adaperitur,*

*ritur, ponticulus è cannis textus, nauim inter & ripam excitatur, eum transeunt anates, procursu adeò impetuoso, vt altera supra alteram prouoluatur, multo spectantium risu. Eo modo toto die in pastione sunt, prope aquas, & in agris oryza consitis, certo insuper ab agrorum dominis precio anatum nutritoribus persoluto, ob arua hac ratione ab nocentibus herbis purgata. Cùm aduesperascit, anates ingenti numero in aquas proruunt, ad signum tympani pulsu, è nauibus datum, quo conuocari solet, & per ponticulum, de quo anteà, in caueas suas redeunt: cæterùm quisque grex è sua naui datum signum probè internoscit, etiamsi magna adsit nauigiorum multitudo, quorum etiam vnumquodque peculiari suo à cæteris soni genere discernitur, cui anates egregiè sunt intentæ. Hæc ars atque exercitatio, Regno huic & frequens est, & perutilis, cùm maxima incolarum pars, hisce animantibus victitet: palato etenim acceptissimæ, iucundissimæq́;, & ingenti numero, viliq́; pretio sunt comparabileis, & perleui sumptu nutriuntur.*

*Vtun-*

*Vtuntur etiam Chinæ genere quodam piscationis, non minus, quàm pastio anatum sit, artificioso, multa cum spectatorum voluptate. Rex in singulis vrbibus, ad flumina consitis, peculiareis quasdam casas habet, in quibus annuatim multi corui marini aluntur, quorum opera in piscatu, ijs mensibus, quibus pisces oua parere desinunt, in hunc modum vti populareis solent. Eximunt coruos è caueis, eósque ad ripam fluuij deferunt, in quo multas habent paratas cymbas, quas, mediam nauigij partem, aqua impletas, continuò ordine in orbem locant: coruos inde subter alas funiculo oblongo vinciunt, & ingluuiem hactenus constringunt, ne pisces deglutire possint; in aquas dein eos deijciunt, vt pisces capiant; id verò coruis, vt auibus aquaticis haud ingratum, supra modum auidè & celeriter in flumen ruentibus; submergunt tùm se, atque vbi tàm diu sub vndis latuerint, donec rostra collaq; piscibus ad ingluuiem vsq; compleuerint, emergunt, & in cymbas eadē celeritate reuolant, captosq; pisceis in aquas, eam ob rem, vt suprà dixi,*

in

*in ſcaphis adſeruatas, è roſtro colloq́; effundunt: ne ſcilicet minores piſciculi moriantur; redeunt eueſtigiò in aquas, prædam nouam petituri; & hunc laborem totis quatuor horis continuant, tanta agilitate, vt neuter alteri impedimento ſit, donec cymbæ piſcibus ſint oppletæ; tùm demum, nodus ille, quo ingluuies conſtricta erat, exſoluitur. Corui in aquas rurſum dimittuntur, vt immerſi, ſibi iam ipſis piſces capiant, cibúmque quærant, quod magna auiditate faciunt, quia die piſcatum antecedente, demenſum illis minimè præbetur (certus, id eſt, milij numerus) quò, fame ſtimulante, fiant auidioreis. Exſaturati, vbi aliquandiu in aquis oberrarint & luſitauerint, ex aquis exempti, in caueas reportantur, ibíque ad menſes vſque piſcationi aptos, detinentur, quibus redeuntibus, ternis quibuſque diebus, ad piſcatum corui adhibentur, cuius vſque adeò cupidi, vſque adeò adpetentes ſunt, vt, toto anno, ſi liceat, nihil facturi libentius videantur. Tribus menſibus, Februario (vt dixi) Martio & Aprili, tãta piſcium multitudo capitur, quæ toti Re-*

*gno sufficiat, ijs, quos priori capite exposui, modis. Cùm igitur tanta omnium etiam aliarum rerum copia Chinæ abundent, etiam longè à mari distantes, singulis diebus, piscibus, si volunt, recentibus vesci possunt.*

## Qua sollennitate Chinarum Rex, aliorum regum & Principum, sui etiam Imperij vrbium & populorum legatos excipiat.

### CAP. XXIII.

*CVm, sequenti capite, mihi de legatione dicendum sit, quam Philippus Hispaniarum Rex Catholicus, pro insigni suo rei Christianæ promouendæ studio, ad Monarcham amplissimi Chinarum Regni mittere statuerat; cur item grauibus de causis ea dilata sit, certæ scilicet occasionis, quæ non procul abesse tùm videbatur, expectandæ gratiâ: non ineptè facturum, neque à finibus propositi mei discessurum me esse existimo, si nunc ostenderim, quibus honoribus, qua rituum morúmque sollennitate Chinarum*

*Rex externorũ regum & populorũ legatos, ad ſeſe quibuscunque de rebus miſſos excipiat atq; tractet, quod ſumma, ſcituq; neutiquam indigna humanitas in hiſce ritibus eluceat, è quibus, quanta ſit gentis eius, de qua dicimus, vrbanitas & diligentia, ſatis ſuperq; cognoſcitur. Omnes igitur, qui legatorum titulo in Chinam veniunt (nihil penſi, ab amicis ſint, an ab hoſtibus miſſi) tanto cum honore excipiuntur & coluntur, adeoq; magnificè tractantur, ac ſi ipſi coràm eorum domini adſint. Neque enim ſolùm, toto terrarum orbe, apud omneis Principes, iure gentium vſurpatis legatorum priuilegijs fruuntur, inprimis verò, ne ipſismet iniuriæ quicquam, moleſtiæue inferatur; ſed, quamuis hoſtilis, & Regi, Reiq; publicæ damnoſa ſit legatio, nihilominus tamen ſingularibus multis immunitatibus iuribusq; gaudet. Statim vbi legatus aliquis, vſpiam ad Regni fines acceſſerit, qui proximus ab eo abeſt, vicinæ vrbis præfectus aut magiſtratus, obuiam ei ipſemet procedit; multo cum honore verborum, & inſigni morum comitate hominem excipit: Præfectum verò omneis eius vrbis Loitij, cuncta officia re-*

re-

*regia, duces, militesq́; præsidiarij, magna pōpa comitantur. Orator è naui egressus, pedib. terram attingere haudquaq̃ permittitur, quantumuis vel in ꝓximo diuertendũ sit, sed continuò ab octo hominibus in littore maris eum expectantibus, gestatoria sella eburnea, aut è pretiosa alia materie facta, holosericoq; aut Damasceno, aut auro bracteato obducta, cuiusmodi singulis in vrbib. oppidisq́; ad subitos huiusmodi casus, mādatu regis habētur, suscipitur. In omnib. etiã vrbib. oppidisq́; regni grandiorib. sumptuosam pamplamq́; domum Rex habet, in quã principũ gētiumq́; exterarũ legati, proreges itē, præsidesq́; prouinciarũ & magistratus recēs creati, cùm ex aula ad munia sua obeũda in prouincias abeunt, hospitio recipiuntur. Hæ ædeis varia supellectili, stratis, lectulis, alijsq́; vtensilib. necessarijs, cunctis deniq; reb. instructissimæ ornatissimæq́; sunt, & ingentis diuertentiũ multitudinis, nemine alteri quidq̃ impedimēti aut molestiæ adferēte capaceis. In has aduentãs Orator, eo, quē diximus, comitatu, deducitur, siue equo vectus, siue lectica, quod vsitatius est, latus. Illic relinquitur, magna cum morum cæri-*

*moniarumq́ pompa; certi adiunguntur homines, qui ipsi ministrent, mille itē, aut duo millia militū, cum tribuno, custodiæ caussâ: eodem modo, domum rediens, ad fines vsq; Regni honorificè reducitur. Sequenti, post cærimoniosam exceptionem, die, magistratus, aut Rector ciuitatis, legatum inuisit: & vbi, quæ assolent, ex eo quæsierit, rogat, vnde veniat, à quo Rege aut Principe, quæue ob negotia missus sit? Quidquid ad interrogata responsi acceperit, quidquid percunctationibus his expiscatus fuerit, eius continuò Proregem aut Insuantonem (qui in metropoli cuiusq; prouinciæ perpetuò degunt) illius oræ seu tractus; Prorex aut Insuanto, euestigiò Regem & supremum senatum certiorem reddunt. Rex statim aut opperiri legatum iubet, aut commeatu dato, potestatem illi sese adeundi facit: & eisdem magistratibus præscribit, quibus modis eum excipere, quibus honoribus excolere debeant, aut pro dignitate Principis, à quo missus est, aut pro ipsiusmet legati conditione: præfinit item numerum militum, qui eum comitentur; præterea modum præstituit omnium*

*sum-*

*sumptuum in eum faciendorum, vsq; adeò examussatim, vt quænam epulæ, quot fercula, cùm ipsimet legato, tùm eius comitibus & ministris, in singulos dies præbenda, quibus in locis, quibus hospitiis, quotidiè diuertendum sit, definiatur. Exemplum diplomatis fidei publicæ, obductæ gypso tabulæ (vt sæpè dixi) grandibus characteribus inscriptum est: nihil tamen aliud continet, quàm nomẽ Regis, aut Principis, à quo missus est orator, cui, quocunque ierit, tabula illa præfertur. Sed codicillorum, quibus à senatu regio in aulam veniẽdi et potestas datur, alia forma est. Hi enim chartæ pergamenæ coloratæ inscribuntur, adpensoq; Regis sigillo cõfirmantur, pro more, duntaxat hac in re, & in Proregum creatione, sollenni. Sumptus itineris legato totiq; eius comitatui, à Regijs quæstoribus, & vectigalium præfectis è fisco præbetur: maximis ille honoribus, omnibus locis adficitur, splendidè tractatur, lautissimis conuiuijs excipitur, magnificè donatur. Quo die vrbem Taibinum legatus ingreditur, omnis Aulæ nobilitas, & cuncti summi consilij Regij senatores,*

*tores, cum suo Præside (qui, vt Chinæ narrant, nō minori maiestate, comitumq́ue turba, quàm ipsemet Rex, in publicum prodire solet) extra vrbem ei obuiā procedunt: qui si à potenti aliquo rege missus sit, dextrum præsidis latus, sin minus, sinistrum claudit. Præses inter eūdum cum eo colloquitur, aut ipsemet aut per interpretes, perhumaniter rogitans, quî valeat? quàm cōmodum iter euenerit? aliaq́ue huiusmodi: his colloquijs tēpus effluit, donec ad Palatium suscipiendo Oratori destinatum, vētum sit: ibi verò, relicto illi, præses quosdam adiungit, qui amicè & hilariter cum homine confabulentur: ipse cum cætero comitatu domum redit; potestatem quoque Oratori facit, aliquot Loitios creandi, certum numerū captiuorum, ad mortem damnatorū, noxæ eximendi, aliaq́ue huiusmodi speciatim priuilegia tribuēdi. Iis, qui legatorum titulo in Chinam veniunt, nihil quidquam molestiarum inferri aiunt, quantumuis vel enorme scelus admiserint. Id à vero non abhorrere, hoc, de quo nunc agam, experimentū docet. Lusitanus Indiæ Prorex, quendā suorum ciuium, cui Barto-*

*lomæo*

*lomæo Porezio nomē erat, cum aliquot aliis, negotij cuiusdam ergò, Emanuelis Regis nomine, conficiendi, in Chinas miserat. Tùm verò tēporis, legati quoq; Malacenses Cantone erant, in aulam Regis Chinarū, ad quē à suo rege mittebantur, profecturi. Hi Lusitanos apud Proregē Cantonēsem calumniabantur, & , nequaquam reuera legatos eos, sed regionem eiusq; aditus & munimenta, speculatū missos esse dictitabant, vtì postea reuersi, eam subigerent, quemadmodum hoc modo magnam Indiæ partē ditioni suæ subiecissent. Atq; calumnia hac minimè exsaturati, eò, impio & atroci animo, rem deducere cōtendebant, vt in vincula Lusitani conijcerentur, tormentisq; in eos quæreretur. Ac sanè Prorex, cùm Loitios vrbis in cōsilium prius adhibuisset, oratores Lusitanos compræhendi, & dirum in carcerem contrudi iussit, cúmque, quæstione asperè & diligenter habita, ea quæ fassi erant, inter se non consentire animaduertisset (quandoquidem etiam eorum quidā, plus, quàm interrogatū, atq; omninò verū erat, fatebātur) sententiā capitis in eos pro-*

*nunciauit, de qua ad ſupremum Regium ſenatum retulit, ab eo confirmatam, (quemadmodum vnicè auebat) continuò exſequuturus. Senatus autem, cùm intellexiſſet & conſideraſſet, Luſitanos, legatorum ſpecie tituloq́; in regnum veniſſe: ſententiam à Prorege Cantonenſi latam, non ſolùm minimè ratam habuit, ſed & confeſtim ei edixit; Luſitanos è carcere dimiſſos, ſine mora incolumes in Indiam redire pateretur, omniaq́; ipſis ad reditum neceſſaria, liberaliter ſuppeditaret, tametſi Malacenſes oratores iam in aulam venerant, & omni ſtudio in eorum necem cunctos exſtimulare conati erant. Addebatur edicto: vt omnia vera ſint, quæ Malacenſes de ipſis detulerint, atque ipſimet adeò Luſitani ſint confeſſi; eos tamen, quòd ſub legationis nomine in Regnum venerint, neutiquam vlla eſſe moleſtia adficiendos. Vt ad propoſitum reuertar, aio, legatum recens aduentantem, vbi ab itinere ſeſe recollegerit, ſæpiusq́; perhumaniter compellatus, atque à purpuratis & primoribus ad ſaliareis epulas aliquoties inuitatus fuerit, certo, ſibiq́; ad eam rem præfinito*

nito die, ad Regem admitti, honestißimo equestris ordinis nobilium, ipsiusq; summæ Curiæ Præsidis in Regiam deductum comitatu, tùm eo, quo primum regem adit die, tùm cunctis sequentibus, quàm diu negocium illi cum Principe fuerit. Rex audit hominem in vno trium magnificentißimarum basilicarum, quarum suprà mentionem feci. Legatus, rebus quarum caußâ venerat, expeditis, ad suum Principem remittitur, ingentis precij muneribus onustus: & in abitu per cunctas regni ditiones æquè honorificè liberaliterq; atque in aduentu, habitus. Oratores verò vrbium & prouinciarum ipsius Chinarum Regni longè aliter tractantur. Eos enim nemo comitari solet, extra magistratum aut Rectorem regionis aut vrbis, à qua ad regem legantur. Ei iniūctum est, vt legatos in regijs, eam ad rem destinatis, diuersorijs hospitio suscipiendos, omniaq; eis necessaria abundè subministrāda curet: caussámque aduentus sciscitetur; quam cognitam, ille ad supremi consilij regij Præsidem, Præses ad regem defert; simul diem designat, legationi audiendæ: accedit le-

*gatus pedes, aut equo vectus, cuius ori frenum sine orea insertum est, in signum humilitatis debitæque obseruantiæ. Quo die, vt mandata exponant, in Regiam oratores accersuntur, è diuersorio cum eo è magistratibus, qui ordine modoque prius deliberato, & constituto, ad eos anteà ventitârat, egrediuntur. Vbi in amplam quandam, ante palatium Regium aream deuenerint, subsistunt; dùm quidam (quem magistrum cærimoniarum dicere posśis) eò veniens, innuat illis, vt procedant, locumque commonstret, in quo primùm in genua submittere sese coguntur, manibus, penè in supplicantium formam complicatis, quàm diu pomposa hæc cærimonia durárit, oculisque in eum locũ, in quo Rex est, directis. Hunc ad modum isti progrediuntur, quinquies adhuc moribus hisce repetitis, donec in primã palatij cœnationẽ peruenerint. Ea conclaui proxima est, in quo summum Curiæ præsidem, magna cum maiestate considentẽ legati reperiunt. Is ad eorum postulata nihil respondet, verùm, vbi Regi negotiũ exposuerit, tùm demùm, quod æquum est, eis renunciat, per eundem è nu-*

*mero primorum ſeu magiſtratuum, cui, in diuerſoria Regia ipſos deducẽdi, omnibusq́; neceſſarijs rebus opportunè inſtruendi, Regio mandatu cura incumbit.*

## De legatis, quos Hiſpaniarũ Rex ad Chinarum Regem mittere conſtituerat; quæ cauſsa legationis mittendæ, quæ poſteà differendæ fuerit?

### CAP. XXIV.

*Historia hac exigua, ea breuiter ſum complexus, quæ in hunc vſq; diem de ampliſsimo Chinarum Regno cognoſci potuêre, multis tamen præteritis atque omiſſis (quorum quidem narrationem in aliud tempus mihi reſeruo) non ſolùm, quòd leuia, ſed & quòd ſummum multis ſtuporem atque admirationem paritura viderentur, cùm antehac inaudita planè fuerint, donec tandem tempus ipſum atque experientia credibiliora iſthæc fecerit. Ac de breuitate ſanè (quod nonnulli certè faciunt) quàm de ſuperflua plixitate accuſari malo, quan-*

*quantumuis non ſine operæ quodam meæ detrimento, ea taceam, quæ nō ineptè exponere potuiſſem. Sed, vt hiſtoricæ huic deſcriptioni coronidem addam, extremo hoc capite mentionem faciam literarum, munerum & legatorum, quibus cùm dominus noſter Rex Philippus (cui, à Deo immortali, vt fœlix incolumiſq; diu ſit, optamus) me æra Chriſtiana M. D. XXC. è regno Mexicano, in Chinam, cum quibuſdam eiuſdē mecum ſacri inſtituti religione initiatis viris, mittere conſtituerat. Ea igitur hac de re ſigillatim indicabo, quæ, illæſa, quam Principi meo debeo, fide, commemorari poſſe iudicauero; licet huc vſque dilata ſit legatio, quam tamen, ſummi numinis benignitate, & maximi Regis ſtudio ac diligentia, cum literis eo nomine ſcriptis, muneribuſq; ad Chinarum Regem deſtinatis, felicem exitum ſortituram eſſe ſperamus. Cùm Hiſpani Philippinarum Inſularum, quæ aliàs Occidentales adpellantur, incolæ, è Chinarum regione multa auri ſericiq; pretioſa, aliaq; diuerſi generis mercimonia in portus ſuos aduehi, eaq; à mercatorib. Chinis, perquàm*

*vili*

*vili pretio diuendi cernerent, ſimul ex ipſis intelligerent, eas terras compluribus alijs præſtantiſsimis bonorum generibus à natura effusè donatas eſſe, quorum partem in hac hiſtoria recenſuimus, eam ſententiam tenuerunt, vt exiſtimarent, ſi res hoc modo procederent: continuusq; ea cum gente commerciorum ſibi vſus eſſet, non ſolùm ingentia ad ſeſe emolumenta inde eſſe reditura, ſed etiam Chinarum Regnum ad ſuſcipienda (quod vnicè Philippinenſeis cupiebant) dogmatis Chriſtiani placita eò leuiori negocio adduci poſſe. Inſularum igitur Præſes, & vrbis Maniglię primores, vnà cum ſenatu Inſulano, & quibuſdam Auguſtinianæ familiæ ſodalib. (qui quidẽ primi Chriſtiana ſcita inſularum earum indigenis denunciarunt, & vltra ducenta hominum millia ſacris aquis abluerunt, aliosq; tanta in re labores & moleſtias ſanè graueis ſuſtinuerunt, quæ rectè commemorari poſſent, ſi & ad propoſitum meum pertinerent, & ni ego quoque ipſemet quotamcunque earum partem exhauſiſſem.) Hi itaque omnes, re deliberata, quoſdam autoritate fideq; præ-*

*ſtan-*

*ſtantes viros, ad Catholicam Regem noſtrũ mittere decreuerunt; qui maieſtati eius in memoriam reuocarẽt ea, quæ de Chinarum regno auditione accepiſſet, atque cognôſſet, eamq́; certiorem redderent, quanti Philippinarum Inſularum (quæ iure omneis Hiſpanici Imperij eſſe cenſerentur) intereſſet, negotiationem & commercia noſtrorum ad eos vſq; populos extendi, quæ ratio ad communem rerum ſtatum fortunasq́; omnium, non ſolùm conſeruandas, ſed etiam inſignibus commodis atque ornamentis adaugendas & ſtabiliendas maximum momentum allatura videretur. Orarent ergò, vt Rex eorum precibus clementer adnuens, legatos ad Chinarum Regem, ineundæ confirmandæq́; amicitiæ cauſſâ, cum certis muneribus, quæ in Hiſpanico Regno inuenirentur, magniq́; apud Chinas æſtimarentur, mittere vellet; adÿcerent: eo modo Chriſtianæ pietatis doctrinæ aditum in eas regiones patefieri, ſimulq́; negotiationem inter Hiſpanos & Chinas cœptam, ad inſigne omnium Imperio Hiſpanico ſubiectarum gentium emolumentum atque commodum, ob multipli-*

*cem*

cem pretiosissimarum, atque præstantissimarum mercium, quæ illinc aduehere̅tur, copiam, eò fœlicius esse processuram. Cùm, re ita deliberata, quisnã ad grauissimæ huius legationis atq; longinqui itineris onus subeundum idoneus videretur, collatis capitibus, inter se consultarent, vno consensu omneis censuére, eum, quem sæpius nominaui, Martinum Herradam, Augustinianæ sacræ familiæ cœnobiorum Coryphæum (vt hominem multiplici doctrina, & sancta morum innocentia præditum, Philippinensiumq; rerum, quòd è primis earum Insularum cultoribus vnus esset, egregiè gnarum) rogandum esse; vt is in honorem supremi numinis, gratiamq; regis, atque quò tantæ hominũ multitudini, ad sempiternã eorum salutem consuli posset, huiusmodi laborem humeris suis imponi pateretur; persuasissimum etenim cunctis esse, totum hoc negotium à nemine fœlicius aptiusq;, quàm ab ipso, viro, probata vita, multiplicíq; rerũ expientia cõspicuo, confectũ iri; neq; quenq̃ aliũ facilius à rege, quæ vellet, impetraturũ; neq; deniq;, q̃ de ordinãda Philippinarũ Rep.
(id

*(id quoq; in mandatis dederant) cum Principe agenda forent, commodius & accuratius pertractaturũ esse. Huic decreto, omnium sententijs adprobato; Herrada adsensus, statim sese itineri dedit, conscensa naui, quæ in Hispaniam nouam velificabat, anno à nato Seruatore M. D. LXXIII. Discessurus, à Præside ciuibusq; cunctis, ob vitæ sanctimoniam, morumq; pietatem, virum amantibus, honorificè ad littus vsque deductus est, multisq; cum lachrymis rogatus, vtì, quàm primum posset, ad eos rediret, qui & summoperè eum colerent, & præsentiam eius, vt maximè necessariam vehementer desiderarent. Id facturum ille se promisit, inuicem ab eis stipulatus, vt hanc pro laboribus suis, quos ipsorum omnium communi nomine susciperet, gratiam sibi referrent, Deum sanctis precib. deprecarentur: is iter ipsius vt fortunaret; quod cùm se facturos ciueis recepissent, quemadmodum pio erga ipsum animi affectu posteà fecêre; Herrada mense Nouembri oram soluit, cumq; per Mexicum iter faceret, me comitem itineris sibi esse voluit. Nauim itaque in Occidenta-*

*dentali Oceano conſcendimus, & Idib. Sextilibus Anno M. D. LXXIV. ad portum S. Lucæ de Barrameda (vt vocatur) in Hiſpania, adpulimus, ſequenti die Hiſpalim, inde, properè, Mantuam Carpetanorum, vbi tùm Rex erat, contendimus, quò cum XVII. Calend. Septembris, ea ſeptimana, qua Guletanam arcem amiſſam eſſe, in Aulam nuntiatum erat, perueniſſemus; Regis manus reuerenter exoſculati, literas Præſidis, & Inſulanorum Philippinenſium maieſtati eius dedimus: Rex, cùm & literas, & nos, ſolita clementia ſuſcepiſſet, & mandata exponentes, benignè & libenter audiuiſſet; pium ſibi atque vtile videri deſiderium noſtrum reſpondit; ſeq́ꝫ conſiliarijs mandaturum, vti ſingulari diligentia de toto negotio deliberarent, idq́ꝫ qua deceret, breuitate pertractarent, gratiasq́ꝫ nobis egit, quòd ipſius cauſſà atque nomine, tàm lōginquum iter ſuſcepiſſemus, vt & eorum, quæ de Chinarum regno comperiſſemus, & eorum, quæ ad Philippinenſium Rempublicam pertinerent, certiorem eum redderemus. Sumptus poſteà omnes, dùm in aula eramus, li-*

beraliter præberi nobis iußit, mandauitq́; vti rem totam Præsidi senatus Indici exponeremus. Is tùm erat D. Ioannes Obandus: huic iniunxit Rex, vtì re cum consiliarijs diligenter prius excussa, quidnam statuendum videretur, ad sese referret: cui mandato Præses summa cum diligẽtia paruit: paucis siquidem pòst diebus, quidquid Philippinensium colonorum nomine petebatur, expeditum omne, & impetratum est; excepto capite legationis, quæ ad Chinarum Regem decernenda erat; ea, quòd maximi momẽti esset, & opportuno tempore, maturaq́; & graui præmissa deliberatione suscipienda iudicaretur, in aliud tempus dilata & reiecta est. Hoc cum responso, multisq́; Regijs, de ordinanda recens inuentarum Regionum republica, constitutionibus, adscitis insuper, qui vnà nobiscum proficiscerentur, quadraginta religiosæ professionis viris sacratis, mense Ianuario, Anni M. D. LXXV. ex Aula discessimus, Hispalimq́; reuersi sumus; ibi, cum regio mandatu grauibus de causis ego remanere cogerer, Herrada, cæteriq́; mystæ nauim denuò ingreßi, Iunio men-

se,

*ſe, vela ventis dedére, & fœlici curſu in nouam vſq; Hiſpaniam delati ſunt: cæterùm, cùm proſpera nauigatione iam ipſas etiam Philippinas Inſulas in conſpectu haberent, repentè mutato vento, in Inſulam quandā à nefandis inanium Deorum cultoribus inhabitatam reiecti ſunt, à quibus, Herrada, cæteriq; omnes, trucidati, vnico excepto, quem ex Inſulis nobiſcum in Hiſpaniam abduxeramus, Indo: is Manigliam reuerſus, cateros omneis interfectos, literas, quas ſecum habuiſſent, à Barbaris dilaceratas atque amiſſas eſſe retulit. Præſes, & coloni Philippinenſes, hiſce magno cum dolore atque luctu auditis, cùm viderent, Herradæ & ſociorum interitu, in priſtinis ſeſe miſerijs relictos, ad Regem denuò literas dedére, ſupplicésque eadem ab eo, quæ iam antè per Herradam legatū tpetita, impetrarant, ſed impetraſſe ſeſe neſciebant, petiêre: rogarunt inſuper, vt Rex, de legatis in Chinam mittendis quamprimùm ſtatueret, quod anteà eodē Herrada internuncio demiſſè flagitârant; alias præterea addiderunt rationes, quibus permotus Rex,*

*petentibus benignè adſentiretur, vt in re, ad optabilem Inſularum ſtatũ potiſsimùm faciente. Literis in Aulam delatis, Rex, vbi poſtulata Philippinenſium cum prioribus omninò eadem eſſe animaduertit: Præſidem earum Inſularum conſtituit D. Conſaluum Mercadum Ronchilliam, ordinis equeſtris, virum grauem, magnanimum, & multiplicibus erga Regem obſequijs, quæ in Peruanis Mexicanisq; Regnis ei fideliter præſtiterat, præclarè de republica meritum. Is itaque, cùm iam Præſes creatus eſſet, & ſummum mittendæ in Chinam legationis, Philippinenſium deſideriũ intelligeret, ſimulq; conſideraret, quanti eam impetrare publici boni intereſſet, ſuppliciter, ſed accuratè illud negotium apud regem & ſenatum Indicum vrgere cœpit: Reſponſum tulit; cõtinuò cum militari manu in prouinciam ſuam iret, omniq; ope ſaluti & incolumitati Inſulanorum conſuleret, quod ad legationem Chinenſem attineat, cùm ea tanti momenti nõ ſit: in aliud commodius tempus differẽdam videri, eò ſcilicet, vſque, dum ſenatus rem grauiter atque tempeſtiuè deliberatam atq;*

*exa-*

*examinatam, ad Regem retulisset, isq; vt omnium caput, ea decreuisset atque statuisset, quæ in Dei Opt. Max. maiestatisq; suæ honorem cessura iudicaret. Ita Mercadus tùm discessit. Insulani verò, antequam nouus Præses eò venisset, Sextili mense, anni sequentis, vehementius orare regem atque obtestari perrexerunt, vt tandem toties rogantium postulatis, clementer obsequeretur, miseruntq; vnà Acta, seu expositionem itineris, quòd aliquoties nominatus cœnobiorum Augustiniani instituti Coryphæus Herrada, cum alijs aliquot antehac in Chinarum regnum fecerat, qua quidnam ibi tùm vidissent cognôssentq; nostri, explicabatur, quemadmodum è secunda historiæ meæ parte (cui tota ea narratio fideliter inserta est) intelligetur. Decreuit tùm Rex, flagitatam toties legationem ad Chinarum Regem mittere, idq; eodem tempore, quo ob Lusitanicas occupationes, grauissimis curis distinebatur. Luce clarius hoc argumentum erat, prouidentiam numinis (in cuius potestate, vt sapiens ait, pectus regis positum est) cuncta hæc moderatam esse. Legatos autem*

deligere iussus est Antonius Padillia Menesius, Indici senatus Præses, cum quo ego diu anteà sæpè multúmque cùm de Chinarum imperio egeram, tùm de regno Mexicano (quod mihi, ab anno ætatis XVII. in hunc penè vsq; diem ibi vitam agenti, probè erat percognitum) occasione quorundam negociorum, quibus conficiendis ego, dum sacras in templo San Philippæo Mantuano, seu (vt nunc vocant) Madritiano ad populum haberem conciones, sæpius fui præpositus; qua vsus, cùm frequenter ille multa ex me percunctaretur, atque inquireret, non raro hominem conueni. Quamobrem Padillia, cùm ex multis etiam mecum habitis colloquijs, optimè in me esset animatus, & præterea me salutis earum gentium cupidissimum, Regisq; mei obseruantissimum esse reperiret; sibi persuadebat, me legationem eam è sententia Regis (qui hac in re tãtummodo alicuius religiosæ pfessioni dicati hominis opera vti cogitaret) omnium cõmodissimè confecturum, & ad optatum finem esse perducturum: Existimabat ẽt, non parũ huc momenti adlaturã diuturnã meam

earum

*earum regiorum cognitionem, nauigationum peritiam, incolarum notitiam. His igitur de causis id mihi legationis obeundæ munus obtulit; & cùm Lusitanici negocij ergò, iter ipsi suscipiendum esset, cæteris senatoribus Regijs dimittendi mei curã commisit. Hi me Hispalim adcersiuére, edito mandato, vtì dona, quæ ego mecum accepta, ad Chinarum regem ferre debebam, pararentur: ibi ego permansi, & profectionem aliquot vrsi diebus, sed cùm propter occupationum multitudinem, parari, antequam classis in Indiam ire solita, solueret, nequirent, Licentiat Gasca Salazar, Indicæ contractationis Præses, & Indici senatus Adsessor, Regem literis eius rei certiorem fecit (qui tùm Lusitani belli causâ Vadasciosæ erat) vt is, quod è suæ maiestatis dignitate foret, statueret. Renunciari Rex iussit; classis vela ventis committeret; mihi, dùm munera expedirentur, & donec nauis pararetur, expectandum, qua quamprimùm velis in Hispaniam nouam factis, eas illic naueis conscenderem, quæ quotannis inde in Philippinas Insulas abeunt, quod circa ferias Natalium Seruatoris fieri*

*consueuit. Hac ratione, dilata est profectio nostra vsque ad sollenneis dies esurialeis, anni sequẽtis, tàm eò, quòd munera, quæ multa erant, citius expediri nequirent, quàm quòd vitiosis destillationum humoribus, molestisque catharris, tota penè Hispania, eo anno laboraretur. Rebus tandem omnibus paratis, Regis ad Chinarum Regem literæ, vnà cum muneribus, mihi traditæ sunt, de quibus hoc loco nihil dicam, quòd ingens eorum numerus, si foret pcensendus, narratio nostra æquo prolixior futura esset; existimo præterea, prudentem lectorem, per sese, considerata Hispaniarũ Regis, à quo dona mittebantur, magnanimitate, eiusque, cui offerenda erant, maiestate atque opulentia (quã, hac historia, satis, opinor, fusè descripsi) facilè, qualia ea quantaque fuerint, æstimaturum esse. Exactè etiam omnia indicare, epistolæque regis mei, ad Monarcham hunc datæ exemplum huc adscribere cupÿssem, quò opere ipso autor commendaretur. Sed cùm rei huic summa manus non sit imposita, neque ego etiam, veniam ab eo, penes quẽ eius mihi dandæ ius est, ista diuulgandi impetrârim,*

*rim, quam, pro conditione locorum, in quibus nunc vitam dego, ne petere quidem possum, haud cõuenire id mihi censeo, ne fidem, quam Principi meo debeo, violem. Scire sufficiat & literas, & munera, & oblatam officiosè à Rege nostro Monarchæ illi amicitiam, eò duntaxat spectasse, vt Rex iste, clientesq́, & vniuersi imperio eius subiecti populi, ad veritatem agnoscendam, & sacrosanctam religionem nostram Catholicam suscipiendam inducerentur atque concitarentur, & pudendi ipsorum errores detegerentur, quibus vtiq́ miseri laborant, dum nullam immortalis Dei (qui cœlum, terram, omniaq́ in orbe vniuerso, tàm aspectabilia, quàm aciem nostram fugiẽtia creauit, effertq́, & beatos efficit eos, qui omnẽ suam in ipso spem reponunt, & legi ab eo promulgatæ, sanctissimisq́ verbis, & veracibus signis confirmatæ, obedientes sese præbent) notionem habent. Hoc modo dimissus, ego in Mexicum redij, vbi tùm turbatius quædam gerebantur, quæ vt accuratè obseruarem, discedenti mihi Rex præceperat. De his, cùm, antequam cœptum iter*


*exsequerer, Rex necessariò certior faciendus esse videretur, Conignius Comes, Prorex Mexicanus, optimum factu iudicabat, Olysypponem, vbi Rex tùm erat, me reuerti, eique difficultates, quæ deliberationi, iussu ipsius, inter earum regionum Primores, legationis huius caussâ institutæ, incidissent, explicare. Hac occasione in Hispanias reuersus sum, muneribus apud Proregẽ, dũ aliud statueretur, relictis, Regemq́ Olysyppone reperi. Qui, cùm literas, quas attuleram, legisset, meq́ de consultationibus negocij huius caussâ habitis, disserentem audiuisset: idoneam sibi commoditatem peruestigandam decreuit, qua Christianum hoc suum piæ mentis propositum exsequeretur, quod iam quoque ab eo factum, neque vllas rei conficiendæ rationes prætermissas existimo, nosq́ breui, euersa & sublata impia vanissimorum Deorum veneratione, Christiana placita, per vniuersum Chinarum Regnum disseminata atque propagata conspecturos esse, spero.*


Quod


*Quod vt fiat, faxit (qui vnus id facere potest) Deus Opt. Max. ut sanctissimus ipsius cultus (quemadmodum omninò decet) prouehatur, hominesq; hi precioso Christi sanguine recuperati, beatæ immortalitatis compotes fiant.*

## ERRATA.

Pag. 3. verſ. 13. lege adpellatas.
9. 18. San Laurentiani.
24. 5. ſollennitate.
30. 8. ei thure.
37. 9. Bæthicis: & ib. lin. 14. aliaq;
41. 8. vilitas.
44. 6. diadematis ergò.
45. 1. Manigliam. Porrò pro Chinenſibus & Chinenſium lege ſemper Chinis, Chinarum: aliaq; errata his ſimilia partim exemplaris vitioſitate, partim feſtinatione commiſſa, tu ipſe, Lector benigne, corrige.






165